

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De usuris.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

D E U S U R I S.

P A R S P R I O R,

Resp. WERNERO ab ENSCHEDE, 25. Junii, 1636.

De Usuris tam multa in communi conversatione & praxi, imprimis inter populares nostros mercatura deditos ventilanda occurrunt, ut necesse omnino sit ad conscientiarum instructionem, & Studio, orum manuuctionem Academicis disputationibus illa subijci. Quod in presenti facturi.

I. Præcognoscemus quid sit usura.

II. Capitalet controversiam, an aliqua usura sit licita, excutiemus.

III. Ad Casus quosdam conscientia seu quæstiones morales respondebimus.

IV. Remedia adversus peccata usuraria saltem indicabimus.



Suram in genere definiunt Theologi ex nostris Me-S. 1. lanthon in Ethicâ: *lucrum ultra sortem, tantum propter officium mutuacionis.* Amelius cal. consc. lib. 5. cap. 45. *Lucrum ex mutuo quæstum vi ipsius mutui.* Ex pontificiis Malderus in 22. tract. 5. c. 3. *Intentam acceptionem lucri pratio æstimabilem ultra sortem causa mutui principaliter.* Molanus Theolog. Practicæ tract. 2. c. 26. *Quidquid ultra sortem mutuatum ex mutuo percipitur sive id sit pecunia, sive quid aliud pecunia æstimabile, ut ibid. subijcit conclus. 3.*

Referemus ergo usuram ad contractum mutui (*Azorius instit. Moral. tom. 3. lib. 7. c. 7. 8.*) sic tamen ut aliam & novam obligationem, seu novum & separatam contractum stipulationis usurarum, mutuacioni accedere (ut inter Jureconsultos explicat *Bronckhorst. centur. 2. assert. 77.*) non negemus; cujus vi lucrum aliquod ultra sortem debeatur; qui contractus dici potest dare formam & differentiam specificam legitimæ usuræ. Sit ne autem contractus mutui genus usurarum perfectum an vero analogicum, nihil attinet hic disputare, nec semper *ἀναγκαῖον* Logicam tam præcise in usu terminorum consecretantur J. C. aut Moralistæ. Sufficiet nunc reperti & præcognosci: Mutuum esse contractum nominatum realem, quo quantitas pecuniæ seu rei fungibilis à creditore debitori datur sub fiducia & lege restituendæ ejusdem in eodem genere, qualitate & quantitate, non in eadem specie.

Docendi causa possemus vocem distinguere: ut mutuum significet vel purum mutuum, quando nihil recipimus ultra sortem, aut etiam restitutionem sortis non speramus; vel mutuum non purum, quando accedente aut intercedente alio sive casu, sive contractu, sive ex gratitudine debitoris aliquid recipimus ultra sortem. Alii & non male distinguunt mutuum in *Eleemosynarium*, *gratuitum*, *compensatorium*, *usurarium*: *Baldwinus* in casibus. Jam vero usura dividitur in *justam* & in *injustam*. *Justam* dividunt in I. *punitoriam*, II. *compensatoriam* seu *debitam* pro intercesse, III. *Retributoriam* seu *voluntariam* ex debito gratitudinis & debito amicitiae. 4. *Socialem*. 5. *Casualem*. 6. *Debitam* ex contractu seu *stipulatione*. *Injustam* seu *lucratoriam*, quæ etiam mordens & propriè foenus dicitur, dividunt in *illicitam* ex parte debitoris, & *illicitam* ex parte creditoris. Hæc rursus est vel *usura usuræ*, vel *Trapezitica*, vel alia quævis nimium lucri præter sortem exigens.

Distinguitur etiam ex definitâ quantitate, in *centesimam* cum de 100. aureis singulis mensibus unus, singulis annis duodecim penduntur, *deuncem*, *dextrantem*, *dodrantem*, *bessem*, *septuncem*, *semissem*, *quincuncem*, *Trientem*, *quadrantem*, *sextantem*, *unciariam*.

Ex modo exercendi rursus est vel *externa*, eaque vel explicita seu aperta, vel implicita seu occulta: vel *interna*, quam etiam mentalem vocant, quando quis mutuo dat sine pacto, eo tamen animo ut inde aut lucrum, aut lucrum indebitum recipiat.

Usura mordens seu injusta, aut doctrinâ aut praxi, aut utrâque suos semper habuit patronos. Judæi olim, etiam centesimas exigebant *Neb. 5. 7. 11*. Unde constare videtur eas in Imperio Babylonico & Persico usitatas fuisse. Romani iisdem, quamvis lege concessis, contenti erant, hinc lex illa de centesimis renovata. Vide legem *Gabiniam* apud *Ciceronem*, *epist. ad Attic. 6.* & *Hotoman. in ind. legum Roman. pag. 33*. Majores etiam centesimis, in fructibus & pecunia trajectiria concedebantur *L. oleo C. de Usur. Cuiac. lib. 5. observ. c. 38*. Sed graves illæ usuræ antiquo jure concessæ *L. eos: 26. de usuris* tempore Justiniani imminutæ sunt. *d. l. Novissimo jure imperii conceduntur quincunces, Alth. Dicaialog. lib. 1. c. 66. num. 40*. Magnas enim tutbas in Republ. Romana dedisse usuras testis est *Tacitus annal. lib. 6.* in principio; hinc *12. tabulis sancitum, ne quis unciario sœnore amplius exerceret, dein rogatione tribunitia ad semuncias redactum, &c.* Hodie Judæi damno Christianismi strenuè usuras exercent, & quidem bonâ (ut putant) conscientiâ. vide *Helvic. Elench. Judaic. VIII.*

- §. 2. Inter Christianos controversia principalis, quæ pugnantibus sententiis etiam hodie agitur, est. *An aliqua usura sit licita.* Negativam sententiam habet

habet *jus canonicum caus.* 14. *qu.* 3. per totum & Clementin. ex gravi, de Usur. cum Canonistis; quibus se adjungunt Jurisconsulti in Papatu, *Clarus*, *Covarruvias*, *Lud. Peguera*, &c. quia propter auctoritatem Juris Canonici aliter nec audent nec possunt. Adhuc Theologi Scholastici & *sententarii* in *Lombardum lib.* 3. *dist.* 37. & in *Thoma* 2. 2. *quest.* 78. *Lyranus* in *Præceptor* ad 7. *præcept.* *Casuiſta* seu *summiſta* *Angelus de clavaſio*, *Sylveſter*. *Navarrus*, *Toletus*, *Azorius*, *Cajetanus*. *Immanuel Sa*, alique fere innumeri: contrarium sentientes cum pertinacia, Inquisitoribus hæreticę pravitatis puniendos mandant, vid. *Eimer. directorium Inquisitor.* *part.* 2. *qu.* 7. hæref. 6. Quin & recentiores non tantum causam illam Juris Canonici agunt: sed & nostrorum Theologiam tanquam usurariam incessunt. *A Lapide* in *Deut.* 23. *Bayllius* in *Catechesi*, cui os obstruxit *D. Rivetus* in *Catholico Orthodoxo tom.* 2. *ad. qu.* 15. Videtur etiam antiqua constitutio Caroli Magni Recessus seu capitularis in *Nimagd.* (1. *Neomagi*) a. 807. omnem usuram damnare, sic n. habet. c. 16. *Fœnus est qui aliquid prestat. Jussum fœnus est qui amplius non requirit, quam præstitit.* Apud *Goldast.* in *constit. imperii tom.* 3. p. 151. In eandem sententiam locuti sunt olim primi quidam Theologi Protestantes in Germania *Lutherus serm. de usuris* & in *admon. ad pastores. tom.* 1. *Jenens. German. fol.* 188. & *tom.* 7. *fol.* 373. *Melanthon Ethic. lib.* 2. & ex nostris *Musculus* in *Pf.* 15. quamvis alias concedat Orphanis, pupillis; *Aretius probl. p.* 1., &c. & plurimi Theologi Anglicani, inter quos scriptis publicè editis celebres *Juells* in tract. seu concione de Usuris, & *Lancelotus Andrews* postea Episcop. *Wintoniensis* in determinatione habita *Cantabrigiæ*; qui *Academię illius* consensu ibidem gloriatur. Quin & statutis regni omnis usura jure divino prohibita esse dicitur, sub *Eduardo VI. Regina Elizabethâ*, referente *Willeto comment. in Lev.* 26.

Nos accedimus affirmantibus & istis conclusionibus seu aphorismis sententiam nostram ita explicamus.

I. Qualiscumque usura, hodie pro dolor! nimis usitata, alicubi aut non raro seu legibus seu prava consuetudine tolerata in foro conscientię non est licita.

II. Usura illicita respectu debitoris est quæ à paupere aut tenuioris fortunę mutuante propter rei familiaris aut operę aut artis suę sustentationem, exigitur.

III. Usura illicita respectu creditoris est quando creditor etiam à ditiori plus justo interesse exigit nomine fortis principalis non solutę; qualis usura etiam jure civili prohibita. Et immodica quęvis usura sive pecuniaria sive frumentaria supra quantitatem legitimam mordens & cum immodi-

co rigore atque adeo proximi damno exacta : qualem jus & J. C. C. *Althusius*, *Bronckhorst*, aliique infra citandi improbant.

IV. Usura, quam, vocant punitoriam, licita est, quia cum iuste imponitur, est actus iustitiæ in foro Politico; de qua videantur J. C. C.

V. Usuram compensatoriam (de qua nobis proprie agendum) stipulari & ex pacto exigere licet observatis his conditionibus, quarum

Prima est, si mutuans non sit pauper, inops, aut tenuis conditionis, h. e. nihil aut parum habens ad familiam sustentandam : sed ditior, nunc quidem indigens, aut voluptatis, aut apparentis seu præsumpti, saltem intenti lucri consequendi, aut damni evitandi, aut magnificentiæ ostendendæ causa mutuum petens : qui tamen alias beneficentia & liberalitate nostra haud indiget; imo siquidem sit animi generosi & æqui, nollet, saltem nolle deberet mutuum absque usuræ oblatione & stipulatione, quales sunt Principes, Respubl., nobiles, mercatores, &c.

Secunda est si modica sit quantitas, quæ mutuantem non exhauriat, hoc est, moderatio talis adhibeatur quæ utriusque necessitati & commodo, usui, adhæc lucro, quod beneficio mutui acquiritur aut acquiri solet, aut saltem morali certitudine acquirendum putatur, insuper regionis & bonorum consuetudini seu mavis legum præscripto aut iudicis arbitrio Christiana : denique æquitati, caritati, prudentiæ quam optime conveniat.

Tertia, Ne nimis rigide & importune eas exigamus : si absque culpa sua debitor statuto tempore ita exsolvere non possit. Ne cogamus proximum bona & hæreditatem damno suo vendere.

Quarta, Si finis hujus pacti sit *caritas* quidam & *proximitas* & *mutua* respectu dantis, dum vult alteri benefacere & proximum juvare; *utilitas* vero respectu accipientis; *communio* & *communicatio* respectu utriusque, communicatio, inquam, benedictionis divinæ ex pecunia creditoris & opera debitoris perceptæ. His conditionibus rite observatis usura talis nihil aliud erit quam contractus quidam societatis lucri acquisiti, seu locatio quasi pecuniæ pro certa mercede, seu negotiatio, seu *pensio* & *census annuus*, ut eum appellat *Baldwinus de casib. lib. 4. c. 3. cas. 4. p. 94.*

§. 3. Probatur hæc thesis nostra,

Primo. Quia de isto aut simili *negotiationis contractu* seu *censu annuo*, (ut rectius vocatur, quam usura) nulla exstat prohibitio in sacris litteris, nec unquam probabunt illum esse *נשך* *neschech*, id est, *mordentem usuram*, quam incessit scriptura, aut *תרביח* *tarbit incrementum* seu *multiplicationem*, quam condemnat.

Secundo. E contra scriptura non obscure innuit usuram qua talem seu lucrum ex pecunia non esse absolute, in se, intrinsece, ac sua natura malum, sed

sed tantum propter circumstantias fieri tale. Qui adjicitur *Exod. 22. Levitic. 25.* à pauperibus & tenioribus non exigendas uluras; & quia Deus præcipit Israelitis, ut acceptent illas à gentibus seu extraneis *Deuter. 23. 19. 20.* Si quis excipiat Deum bona gentium Israelitis dedisse eorumque potestati subjecisse: reponimus non omnes gentes in genere, sed tantum Cananæas Israelitis datas fuisse *Deuter. 2. vers. 5. 9. 19.* Deinde Deum dedisse, ut gentibus extirpatis terras ac bona earum jure belli, non vero ejusmodi contractibus in potestatem redigerent.

Tertio. Quia ex sacris litteris per necessariam consequentiam deducitur. Unde deducitur omnis caritas, justitia, æquitas naturalis & gratitudo erga proximum; inde etiam deducitur contractus qui in caritate, justitia, æquitate, & gratitudine fundatur. Sed verum prius *Math. 7. 12. Math. 22. vers. 39. Philipp. 2. 4. cum 1 Cor. 13. 5. 1 Thes. 4. vers. 6.* Jam vero contractum hunc in caritate, justitia, æquitate, gratitudine fundari, aut nulli istarum virtutum repugnare (quarum descriptio apud Ethicos, theologos ubique exstat) non est quod hic repetamus. Proximi conditio non fit deterior, aut illum *παραδίνει* aut *πλεονεκτεῖ* creditor: quin aliquo beneficio afficit, ut vel lucrum faciat, vel damnum vitet, vel honori suo consulat. Ponamus modo ex. gr. hunc casum cum *Calvino commentar. in Ezechiel. 18.* si ditior & opulentior sumat mutuo ab homine mediocris aut tenuis fortunæ, ut fundos emat unde fructum percepturus est; cur creditor fraudabitur suo jure, si pecunia ipsius lucrum adferat alteri, eique ditiori? Nemo enim tenetur proximo talis conditionis ita benefacere, ut sibi suisque subtrahat dum alios ditat, ut se oneret dum illos sublevat: sed equalitas servetur & se mutuo sublevant, juxta præceptum Apostoli *2 Cor. 8. 13. 14.* quod mutuo non tantum eleemosynario, aut gratuito, sed & compensatorio proportionaliter applicari debet.

Quarto. A paritate aliorum contractuum commodari scil., locationis, emptionis & venditionis. Ex commodatione utensilium aureorum, argenteorum, æneorum, item pannorum, lineorum, laneorum, adhuc tape-
tium, &c. lucrum quis percipit; cur non ex mutuatione nummorum; & sic ex elocatione domus, fundi, &c.? Imprimis autem propter sortem & impensas lucrum accipit mercator sive merces permutet, sive loco earum nummos accipiat. Hos autem contractus licitos esse, non est quod ex scripturis, jure naturali & humano, consensu omnis generis Theologorum probem, quia nemo negat.

Quinto, argumento ad hominem, contra Pontificios aliosque negantes probamus. Emptio reddituum ex fructibus fundi aut ex domo aliqua recepta est, imprimis apud Clericos Papales. *Licite* inquit Molanus Theolog. pract.

pract. tract. 20. cap. 21. emuntur reditus vitales & perpetui, personales & reales, pecuniarii & fructuarii, redimibiles & inredimibiles. Licitum etiam est ex declaratione Nicolai V. pro assecuratione reditus, obligare personas: obligare bona mobilia & immobilia, ut reditus ex aliis bonis extrahi possint, &c. unica ratio quâ discriminant hos contractus ab usurario est, quia pecunia est res sterilis, illa vero non sunt. Chrysostomus homilia 3. in Math. 27. quinque differentias assignat, quas allegat Jus Canonicum dist. 88. c. 11. sed tanto huic negotio, & scientiæ ac conscientiæ sapientum non satisfaciunt. Licitæ est insuper societas officiorum, hoc est, in emendis officiis in curia Romana, de qua tam multa Toletus lib. 5. c. 40. Azorius tom. 3. lib. 9. c. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Virginius tract. peculiari; adhæc contractus assecurationis fortis, contractus societatis, & lucris seu venditiones lucris incerti pro certo omnes liciti sunt in Papatu, & à conscientiæ Magistris ex communi sententia ibi defenduntur Maldero in 22. tract. 5. cap. 3. Azorio tom. 3. lib. 7. c. 7. 8. 9. & lib. 9. c. 2. 3. 4. Si ergo simplices illi contractus liciti, quidni contractus usuræ, qui ex illis mixtus & compositus est? Contendunt etiam papales Theologi syngraphas minoris posse emi quam continent; similiter actiones litigiosas, si scilicet probabile sit solutionem fore difficilem aut ambiguum. Malder. de Justitia tract. 5. cap. 2. dub. 4. addit Cajetanus in summula, in voce Usura, etiam respectu dilatæ solutionis chirographum posse minoris emi; quod tamen Malderus loc. cit. fatetur esse usuram; quamvis sententiam Cajetani dicat esse probabilem. Communiter etiam statuunt Canonistæ & Theologi (paucis exceptis) lucrum ratione damni emergentis vel lucris cessantis ex mutuo posse accipi, & quidem ab initio nulla intercedente mora debitoris hoc posse in pacto poni. Vide Azor. & Malder. loc. cit. & Tolet. lib. 5. c. 32. 33. 34. & Josephus Angles in floribus ad 4. part. 2. pag. 254. 256. Et sic ex Pontificiis J. C. C. nonnulli concedunt usuras, quæ vicem & compensationem ejus quod interest aut fructuum obtinent. Anton. Faber. decad. 1. pragmatic. error. err. 2. l. 5. c. de act. empt. Denique in Jure Canon. quidam casus ponuntur, in quibus potest is qui vel explicite vel tacite mutuum dat, præter sortem aliquid accipere.

Feuda, fidejussor, pro dote, stipendia cleri,
Venditio, fructus, cui velles jure nocere,
Vendens sub dubio, pretium post tempora solvens
Pœna nec in fraudem, lex commissaria, gravis
Dans socii pompæ, plus sorte modis datur istis.

Vide hæc explicata apud Hostiensem in summa tit. de Usuris, Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 7. & recenter ab Azorio lib. 7. c. 8. Quin & scœnus nauticum inter Pontificios Juristas, Canonistas, Theologos, plerique & nobilissimi

bilissimi ab usura illicita excusant, ut videre est apud *Azor. lib. cit. cap. 7.* Contractus innominatos aliquos, *do ut des* defendunt *Navarrus in consil. 25. de Usur. num. 2. & 3. & Azorius ibid. e. gr.*

Primus Casus, ut Titius mutuo det Cajo 100. aureos & si intra decem annos decedat, Cajo habeat centum aureos, si non decesserit Titius reddat 100. aureos & præterea decem aut duodecim qui singulis annis respondeant, hoc est, 100. aut 120.

Secundus Casus, ut etiam Titius det 2000. aureorum monasterio ea lege, ut dum vixerit, accipiat quotannis tot vel tot aureos, ex quibus possit sustentari; quod si moriatur retineat Monasterium 2000. aureos.

Tertius Casus, ut Titius det Cajo 100. aureos, ea conditione ut si intra biennium Romam venerit & in patriam redierit, aut uxorem duxerit, aut sacros ordines susceperit, Cajo restituat 200; si vero non redierit aut uxorem non duxerit, Cajo habeat sibi 100 aureos.

Quartus casus, ut pater cui nata est filia det Reipublice centum aureos, ea conditione ut si filia ad annum 15. perveniat restituantur ipsi 500. aurei, si non perveniat; Respublica habeat illos 100 aureos. Nec prætereunda negotiatio multiplicis cambii, *minuti, sicci* (quamvis hoc aliaque similia damnaverit Pius V. constitutione publicata, quam habet *Bullarium fol. 1154.* & meminit *Quaranta in constitutionibus pontificum p. 638.* & *Navarrus in Manuali c. 17.*) num. 299. per literas ad creditum, &c. de quibus *Molanus tract. 2. cap. 2. Toletus lib. 5. cap. 50 51. 52. 53. 54. Navarrus in Man. c. 17. num. 283. Azorius part. 3. lib. 10. tract. de Cambiis. Cajetanus in quest. quodlib. qu. 15.* Quin ipsi montes pietatis in Italia erecti ab ipsis Pontificiis Theologis injustitiæ & usuræ acculantur, inter alios autem *Cajetanus tract. de Montibus pietatis in quest. quodlibet, & à Soto de Iustit. & Jure lib. 6. qu. 1. art. 6.* Eos tamen aliquid ultra sortem recipientes etiam à pauperibus licitos esse definiit cum *Concilio Lateranensi Leo X. in bulla anno 1515.* ubi etiam contrarium scribentes aut prædicantes excommunicationis sententiæ subijcit. Leonis sententiam defendunt casuisti *Toletus lib. 5. c. 39. & Navarrus, & Lupus commentar. de usuris, Boningsegnus tract. de Montibus*, ad hæc de *Grassius, Rebellus, annotati à Fl. Cherubino in compend. Bullarii.* Pensiones supra montes impositas pluri posse vendi quam emptæ sunt ait *Toletus lib. 5. c. 39.* Non dicam nunc quam sæpe manifestis furtis patrocinentur casuistiæ *Tolet. lib. 5. c. 27. num. 2. & c. 10. num. 3. lib. 4. c. 12. Imm. Sa. in voce furtum & luxuria num. 15. Navarr. Manual. c. 17. num. 31. 87. 88. 93. 118. & consil. lib. 3. de statu Monachi consil. 18. & lib. 5. de furtis consil. 1. Antonin. p. 2. tit. 2. c. 5.* Hoc ergo agunt ut specie & verbis damnando usuras, revera tamen varios modos & vias earum quærant, aperiant, & certatim exer-

ceant, & adhibitis distinctionibus eo maxime semper recidant ac redeant, à quo maxime discedere velle videntur; juxta formulam Romanam antiquam, *si non caste saltem caute*. Quidquid Canonistæ, Theologi, & Jurisconsulti Papales incruentent; aut specie aut analogicè easdem negotiationes seu contractus eque lucratorios, ac nostri sunt, concedunt imo alios nonnullos à quibus abstinendum putamus: qualis exempli gratiâ locietas officiorum, ubi pecunia sterilis egregie fecunda est, & Romano more prolificat.

Sexto, Adde suffragia Theologorum, *Calvini in Exod. 22. & Ezechiel 18. & Epist. 383. Bucerii tract. de Usuris. Vireti in instructione Christianâ gall. ad 8. præc. Dani Ethic. Christ. lib. 2. c. 15. Junii in Levitic. 25. Gallasii in Exod. 22. Borrhii ibid. Simleri ibid. Zanchii in expl. decalogi, Bullingeri Decad. 3. serm. 1. Bezæ ad Luc. 6. v. 25. Tossani in comment. ad Luc. 6. Zepperi exposit. legum Moisaic. lib. 4. c. 15. Piscatoris in Levitic. 25. & Luc. 6. Lavateri homil. in Ezech. 18. 13. Ursini exercitat. lib. 1. 78. 80. 81. Polani syntagm. lib. 10. c. 63; D. D. Profess. Leidens. in synopsi disp. 37. th. 34. Tileni syntagm. tom. 1. disput. 49. Riveti in Exposit. Decalogi, & in Cathol. Orthodox. tom. 2. ad qu. 15. Mathie Martini in Christianâ pietate & equitate lib. 2. cap. 8. Ex Theologis Britannicis, Perkinsus in explic. Decalogi, ad 8. præc. Amesius in Casibus conscientiæ lib. 5. cap. 45. Willetus comment. in Exod. 22. ex parte approbat Calvinii sententiam; & quamvis in commentario posthumo ad Levitic. 25. à priori sententiâ nonnihil recedere videatur, ad eam tamen post distinctiones aliquot non obscure redit. Sunt etiamnum hodie complures, qui idem nobiscum sentiunt: fatente hoc D. Andrews post Episcopo Wintoniensi in principio suæ determinationis.*

Ex Augustanæ Confessionis Theologis, quamvis antehac quidam absolute omnem usuram videantur improbasse, procul dubio propter abusum, & quia tam facilis in vitium prolapsus est, hodie tamen plerique aliter & cum distinctione hic loquuntur, ita ut nobiscum plane convenient. *Balduin. in casibus conscient. lib. 4. c. 3. casu 4. ubi etiam loca Exod. 22. Levitic. 25. Ps. 15. eodem modo, quo nostri, exponit; citat ibid. pro se Brentium libro Germanico de contractibus Usurarius. Hunnium in cap. 8. posterior. ad Corinth. Gesnerum in Psal. 15. Chemnitium part. 2. locor. Theolog. Gerhardum tom. 6. locor. Theol., loco de Magistratu, qui ibidem citat Cythraum, Heerbrandum Schnepfium, Mathiam Hœ. Adde Thummium & Danhauwerum in decalog. ad 8. præc.; Andr. Kestrum in casibus consc. cap. 53. Meisnerum part. 3. Philosoph. Sobr. sect. 1. cap. 6. volumen 2. consil. Theologicor. M. Georgii Dedekenni fol. 167. & seqq. Bidenbachium decade VI. consil. 7. & Tarnovium de Ministerio lib. 1. cap. 21. qui testantur Academiam Tubingeniensem ita sensisse: Denique Jacobum Andreæ in quatuor concionibus Ratisbonæ editis.*

Inter

Inter Jureconsultos *Conr. Rittershusium lib. 7. sacr. lect. cap. 17. Zieglerus ad Grotii lib. 2. de Jure pacis & belli cap. 12.* qui & alios Jurisconsultos ibid. citat. Græcos hodiernos non dissentire aliqua ratione colligere mihi videor ex Pontificiis hæresum scriptoribus *Prateolo, Sebastiano Medice, Alphonso à Castro, Lutsenburgio*, qui omnes cum & ex *Guidone Carmelita* Græcis tribuunt hanc hæresin (ut loquuntur) *Usuram non esse peccatum*. Per usuram autem intelligunt quidquid ultra sortem exigitur, prout illa in *concil. Viennensi* sub *Clemente V.* & in *concil. Lateranensi 3.* sub *Leone X.* damnata est; & condemnatio illa Juri Canonico & directoriis inquisitorum hæreticæ pravitatis inserta. Consentit *Jus civile tit. C. & ff. de Usuris. Harmenopolus lib. 3. tit. 7. & J. CC. omnes*, qui modo Papæ Romano obnoxii non sunt, æquitatem hujus contractus satis superque ostenderunt; aliqui etiam ad loca scripturæ & rationes objectas responderunt, *Carolus Molinæus tract. de usura, Bronckhorst. in arithmetica centur. 2. c. 77. Althusius de dialo- log. lib. 1. c. 141. Borckhold. tract. de usura, Wesembecius in lib. 5. Cod. de act. empt. Hotomannus & Donellus tract. de usuris, Rittershus. & Grotius modo cit.* Etiam aliqui ex Pontificiis vi veritatis coacti, inter quos *Alciatus parergon lib. 6. c. 20.* ubi Justinianum contra Canonistas & Theologos satis; defendit, quamvis more suo Pontificem palpo percutiat. Jesuita *Maldonatus* in sum- mula q. 9. de usuris art. 5. ait: *circumstantias contractus aliquando tollere usuram*. Lessius lib. 2. de Justitia & jure: *Licetum esse ab initio pacisci de lucro cessante*. Inter Canonistas *Job. Andreas* cum aliis nonnullis in c. *per vestros de Donat.* inter virum & uxorem, concedit, quod in favorem ecclesiarum, viduarum, pupillorum ac similibus operum pietatis licet cum illo lucro mutuari. Ita refert *Ludovicus de Beja in decis. Casuum part. poster. casu 3.* & ante eos *Abulen- sis in Math. 25. qu. 171. 172.*

Veritate sententiæ nostræ satis confirmata, restat objectiones aliquot sol. §. 4. *vamus*, quæ à Canonistis, Jurisconsultis, Theologis Pontificiis ad 22. qu. 78. & *Viguerio in Institut. c. 5. vers. 14. 15. 16. Binsfeldio suffraganeo Trevi- rensi, Conrado Paulo tract. de usuris, Henr. Canisio tract. de decimis & usuris. Maldero loc. cit. Ferrariensi in Practica lib. 178. de usuris; etiam à Lanceloto Andrews. in determinat. de usuris & Willero in Levitic. 25. & Melanchthone in Ethica, Selneccero in pedagogiâ Christianâ part. 1. Et Aretio in problem. part. 1. adferuntur.*

Sunt autem trium generum; sumuntur enim vel ex scriptura, vel ex ra- tione, vel ex auctoritate.

Prima sumitur ex *Exod. 22. 26. 27. Levitic. 25. 35. 36. 37. Resp.* cum Theologis nostris etiam *Balduin. in casib. agi loco cit. de usura illicita ex parte debitoris*, qui est pauper & attenuatus.

Secunda ex Deuteron. 24. 15. Responderi posset, cum Calvino in Ezech. 18. legem illam fuisse Politicam & peculiarem habuisse respectum ad conditionem istius populi. Non poterant ergo Judæi à se mutuo usuras accipere, sed bene ab extraneis, ut æqualitas servaretur, quia illi usuras perebant à Judæis. Æqualitas enim servat commercia teste Philosopho Ethic. 5. Nec mirum si peculiarem legem tulerit Deus huic populo de usuris, cum & in aliis contractibus idem fecerit, ut in venditione agrorum: non enim licebat eos absolute vendere aut hæreditario ad alios transferre Levit. 25. 13. 14. 15. 17.

Tertia ex Ezechiel 18. vers. 8. item 3. & 17. Ps. 15. 5. Proverb. 28. 8. Nehem. 5. 7. 11. Resp. Intelligitur ibi mordens usura seu injusta ex parte creditoris, quæ est lucratoria 1. propter solum mutationis officium, 2. nimium etiam exigens, & 3. quidem nimis rigide & importune, cum homines propter hos aut illos casus minime sunt solvendo. Ut enim Psal. 15. eodem versu munus acceptio non simpliciter prohibetur, sed tantum iniqua & mala, sic etiam usura, &c. quod recte observat Balduinus in casibus loc. cit. Sic pignus debitoris retineri, debita exigi vetat Deus Ezechiel. 18. 7. & 33. 15. Jesa. 58. 6. non quidem universaliter, absolute, & simpliciter, sed secundum quid, & tali in casu aut tali modo.

Quarta, Ex Luc. 6. v. 35. nihil inde sperantes. Resp. 1. textum originale $\muὴν ἀπαιτοῦντες$ verti posse, non desperare facientes sc. proximum, vel nullius rei spem auferentes sc. proximo transitive; sin mavis intransitive: nihil desperantes, non desperantes. Syrus interpres $וְלֹא תִפְסְקוּן סְבָרָא רַחֲמָנָא$ velo tephsekoun sabro denosch ne præscindatis spem hominis vide not. Beza. Et sic conveniret cum loco parallelo Matth. 5. 42. $μὴ ἀποσφαλῆς$. Resp. 2. Data hac translatione, dici posset. Non agi isthic de usurâ in genere, sed de mutuo elemosinario, quando ne ipsius quidem fortis restitutionem expectamus. Sic Rittershus. loc. cit. Resp. 3. aut intelligi mutuum gratuitum, quo illis benefacimus, à quibus vicissim talia officia nobis præstari non possunt. Ita non tantum ex nostris aliqui hunc locum exponunt, sed etiam Basilius in Psal. 14. & ex Pontificiis Cardinalis Toletus in commentar. Et evincit hoc collatio v. 30. 31. 32. 33. 34. & Luc. 14. 12. & Matth. 5. 42. 46. 47. Hinc recte Faber stapulensis, si mutuum das pauperi, à quo etiam aequale te percipiturum non speras, neque vis, neque curas, &c.

Objectiones ex rationibus deductæ sunt istæ.

1. *Object.* Repugnat ipsi naturæ, atque adeo naturali jure turpis ac illicita est. Resp. 1. immo mutuum (ut nos limitavimus) absque ullo lucro repugnat potius ipsi naturæ, & juri divino ac naturali, omnique communicationi caritatis, gratitudinis, justitiæ & æquitatis inter homines 2 Cor. 8. 13. 14. 15. cum Philipp. 4. 5. 8. estque vera $\piλεονεξία$, cum aliquis cum alterius detri-

detrimto fit locupletior contra *L. 14. ff. de conduct. indebiti*; quam legem *Cicero lib. 3. offic.* egregie explicat. Ex Pontificiis Theologis & Canonistis quamvis sint qui dicant usuras jure naturali prohibitas, cum quibus sentit *Malderus tract. 5. c. 3. dub. 3.* sunt tamen alii qui negent, inter quos *Tostatus* Episcopus Abulensis in *Matth. 25. qu. 171. 172.*

2. *Object.* Ex etymo scœnoris & Gr. *τοκος* & *נשך* *neschek* *רחיב* *tarbith.* *Resp. 1.* Argumentum ab origine nominum non est necessarium & apodictum: ut notum Logicorum filiis: verba enim valent usu & non origine. *Resp. 2.* Omittatur nomen, ut recte monet Calvinus in *Ezech. 18.* & res ipsa consideretur. Si scœnus, si usura, si *neschek*, significet nihil aliud nisi injustum contractum, nos talem non defendimus. Dicatur *lucrum honestum, census annuus*, &c. ut suggerunt *Zepperus* & *Baldunus*. Dicatur cum Jurisconsultis *accessio, impendium, civilis quæstus, reditus pecunia debita*, *Althus. lib. 1. c. 2. num. 8.* & cesset *τοκομαχία*. Quamvis *usura* per se nihil sonet inhonesti *Bullinger. dec. 3. ferm. 1.* & nihil aliud notet quam *pretium usus seu inter usurii rei fungibilis*, *Althus. loc. cit.*

3. *Object.* Est adversus primam institutionem & naturam pecuniæ, quæ inventa est, ut necessaria comparentur, & consequenter suâ naturâ est sterilis, nec lucrum inde haberi debet *Aristotel. Politic. l. 1. c. 7. Resp. 1.* Est sterilis quidem aliud, immediate seu in se, sed fertilis prolifica latis in alio & per quod pecuniâ comparatur; omnia enim pecuniâ acquiri possunt. *Eccl. 10. 19. Resp. 2.* cum *Carolo Molinæo J. C. & Perkinso*, Pecuniam per se sterilem esse, sicut agrum; sed humanâ industriâ accedente reddi fertilem, quod docet exemplum & praxis Mercatorum. *Resp. 3.* Merces omnes, ut frumentum, vinum, &c. non sunt steriles: at quæstio de iis æque est ac de pecuniâ, an quis possit ultra sortem quid exigere.

4. *Object.* Nemo potest lucrum captare de alieno: sed pecunia mutuo data est aliena, non creditoris sed debitoris, est enim mutuum quasi de meo tuum, & creditor mutuo dando privavit se dominio. *Resp.* Creditor captat lucrum de suo; erat enim ipsius pecunia cum stipularetur inde lucrum ante mutuationem. Valeret consequentia, si absolute absque illâ lucri stipulatione mutuo dedisset, & postea ultra sortem quid exigeret.

5. *Object.* Iniquum est unum bis computari, unius rei geminam peti restitutionem & compensationem, fortis scil. & lucri. *Resp.* non est unius sed duarum, fortis scil. & præstiti indebiti officii ac lucri cessantis, quod ex mutuata pecuniâ expectandum, & quo quis se suosque sustentaret.

6. *Object.* Non servatur generalis ratio & regula contractum, quæ est æqualitas illa, quam requirit Apostolus *2 Cor. 8.* atqui nec animi juxta *Math. 7. 12.* nec rerum æqualitas, Sic Doctor *Andrews*; qui prius contra

omnium aliorum sententiam ex suâ affirmatione defendit. Posterius probat, quia nullum hic est *ὑπόθημα* creditoris, nec in labore, nec in *sumptu*, nec in periculo; ergo nullum illi debetur *πείρασμός*. Itaque compendium quærit sine dispendio, emolumentum sine detrimento. *Resp. 1.* Quod ad probationem prioris, simpliciter eam negant omnes illi, qui aliter hic se animatos sentiunt. Quod ad probationem posterioris, dicimus, esse *ὑπόθημα* creditorum in *sumptu*; dum enim alii census & redditus, domos & fundos emendo, mercaturam & cambium exercendo, atque aliis modis, rem familiarem augent, idque nummis quos ab orphanis, pupillis, exulibus, & peregrinis, hominibus literatis, Politicis, quæstui nulli vacantibus mutuo sumere; creditores tales sibi aut familiæ suæ non provident, sed summulam suam intra breve tempus absument atque adeo totale & finale detrimentum sibi suisque accersunt: quod sane lucrum cessans in damnum definit, & non minus ad illud reduci potest, quam peccatum omissionis ad peccatum commissionis. *Resp. 2.* Immo contra dicimus & in ipsum retorquemus, esse maximam illam inæqualitatem, & viperium morsum, cum debitoribus & quidem ditiores emergunt & *περίσσυσι* beneficio eorum quibus paupertatem, famem, & *πρωλήθειαν* dormientes vigilantes sensim sine sensu conciliant, dum miseri creditores sua absumentes sumptus in gratiam eorum faciunt illisque suppeditant.

7. *Object.* Mutuum suâ naturâ est gratuitum L. rogasti §. 1. ff. de re. cred. igitur usuræ repugnant mutuo. *Resp.* cum Bronckhorstio cent. 2. assert. 77. Usuræ non exiguntur ex vi contractus mutui, sed ex aliâ & novâ obligatione, id est ex novo & separato contractu stipulationis usurarum. Itaque observanda hic distinctio quam ex L. cum quidam 17. §. si pupillo ff. de Usur. ibid. p. 140. annotat: *Usuras non propter lucrum petentium, sed propter moras non solventium irrogari.* Compensant ergo damnum, quod creditor usu pecuniæ suæ caruit.

8. *Object.* Illi res quæstui esse debet, cujus est periculo L. is qui commodatum §. 1. ff. Commo. sed pecunia credita est periculo debitoris, non creditoris. L. incendium C. si cer. per. Ergo, *Resp.* limitamus majorem cum Bronckhorstio; Nisi aliter inter contrahentes convenerit, quia pacta dant legem contractui L. contractus de R. J.

D E U S U R I S.

P A R S A L T E R A.

Resp. HENRICO RIDDERO, Rommerfwale-Zeel. 13. Maji, 1637.

Restant nobis in Disputatione de Usuris,

I. *Objectiones quadam solvendæ.*

II. *De Usurâ trapeziticâ, aliique casus decidendi.*

III. *Antidota indicanda.*



Objectiones ex jure divino & ratione petitas, quæ maxi §. 1.
mi momenti esse videbantur, superiori disputatione
exhibuimus, ex Sententiariis, Thoma cum Cajetano aliis-
que commentatoribus ad 22. qu. 78. Javello in Politic.
Aristot. tract. 3. c. 3. & Oeconomica Christianæ tract. 6.
c. 6. Vigerio Institut. cap. 5. sect. 3. nec non Caluistis re-
centioribus Toletio, Azorio, &c. item ex nostris Aretio
probl. p. 1. loco 50. Musculo in Psal. 15. Melanthon Ethic. lib. 2. Victor. Strige-
lio in hyponemat. ibid. Willetto in Levitic. 25. Lanceloto Andrews in deter-
minatione suâ, Juello Episcopo Sarisburiensi in concione de usuris, Thoma
Wilsono J. C. Anglo, cujus peculiarem de hac quæstione tractatum appro-
bârat Episcopus Juellus 20. Augusti anno 1569. subiecto epistolæ ad Wil-
sonum hoc epiphonemate: *Ut vivat liber, pereat usura.* Responsionibus
nostris ad dictas objectiones, putamus suppeditari fontes omnium solutio-
num. Ne quid tamen intactum dicamur reliquisse, addimus hoc supple-
mentum. Sit ergo,

9. *Object.* Lucrum debitoris incertum, & lucrum creditoris certum est:
ergo injustum. Sic ferè Lancelot. Andrews. Resp. Neg. consequentia. Et ra-
tio est, quia tum omnes contractus cambii, emptionis, census, immo &
cujuscunque venditionis, locationis, commodati, scœnoris nautici, assecura-
tionis fortis, &c. essent in se & suâ naturâ injusti; quia in illis non equali-
ter certum semper est lucrum utriusque contrahentis. Si quis instet 1. At-
qui æquitas postulat ut non exigatur lucrum, cum debitor non tantum ni-
hil lucratur, sed & partem aut totum sortis perdit. Resp. Concedimus
temperamentum *ἐπιεικής* adhibendum, cum debitor per vim majorem,
aut epidemicum quoddam infortunium; aut quacunque aliâ ratione, abs-
que culpâ suâ, damnum passus est. Esset enim hic summum jus summa in-
juria.

juris. Sed illis ~~immediatis~~ officiis, non eliditur plane natura istius contractus depositi, locationis agrî aut domus, &c. *Instit. quis 2.* Ergo non deberet intercedere pactum; quia lucrum debitoris est incertum: sed totum hoc relinquendum esset liberum. *Resp.* Quia homines cum damno benefactoris sui sæpe omnis honestatis, æquitatis & caritatis obliviscuntur: hinc necesse est ex malis moribus bonas leges, & secundum illas civilium contractuum condiciones constitui.

10. *Object.* Prohibemur jure naturæ vendere quod non est: nulla enim proportio inter ens & non ens; & per consequens nulla æqualitas. Sic philosophatur Viguerius loc cit. & ante eum Thomas in *quest. Disput. qu. 14. art. 4.* *Resp.* Neg. minor: duo enim falsa hic præsupponuntur. Unum est, contractum hunc esse venditionis. Alterum, fructum, qui ex pecuniâ mutuo sumptâ intenditur esse purum putum nihil seu *non ens* tam ratione creditoris qui illum cedit debitori; quàm respectu debitoris, qui aut è vestigio eum percipit aut post tempus aliquod expectat. Ubi probatum fuerit contra philosophos, *Finem non esse reale quid, nec causare in esse reali*: tum demum aliam solutionem hujus argumenti adhibebimus? Pactum scil. intercedens contractui huic dare suam formam. Itaque alienam esse hic speculationem *de non ente*.

11. *Object.* Idem bis vendere jure naturali est illicitum. Atqui hoc facit usurarius. Aut enim lucrum illud accipit, pro proprietate rei, aut pro usu. Si illud, jam bis accipit; sin hoc, jam rursus bis accipit, quia usus non est à proprietate distinctus. Sic Viguerius ex Aristotele *Ethic. 5.* Et Thom. loc. cit. *Resp.* Neg. usum à proprietate non esse distinctum. Ut in commo- dato aliud est proprietas rei quamvis ejusdem numero; & aliud ejus usus: sic & in mutuo sive in gratuito sive ulurario aliud est proprietas rei ejusdem scil. specie seu per æquivalentiam, & aliud usus rei. Quod autem excipit Thomas distinguendo usum simplicem, cum scil. qui sit consumptio substantiæ rerum ut vini, panis, & alterum, qui non sit consumptio, ut domus, agrî, &c. illum non posse vendi, hunc posse, est petitio principii seu ejus quod est in quæstione. *Deinde* confundit medium cum fine, usum pecuniæ e.g. in negotiatione cum fructu seu fine sperato & intento. Creditor hic cedit debitori petenti & usum & fructum seu lucrum inde emer- surum; ipse interim eo caret, pro quo debitor ex pacto obligatur ad compen- sationem aliquam.

12. *Object.* Quidam etiam dicunt, inquit Viguerius, quod in Usura vendi- tur, id quod est commune, scil. tempus. *Resp.* Non magis tempus venditur, quàm motus primi mobilis, unde sumitur mensura temporis nostri. Si quid venditur, dicatur vendi res quæ est in tempore; seu usus & fructus rei, qui tem-

tempore mensuratur. Quomodo in locatione & commodato venditur usus agri per annos aliquot, usus equi per dies aliquot. Est ergo hic metonymia adjuncti, qualis in istis: *Omnia fert atas, tempus edax rerum, &c.*

13. *Object.* Mutuum est opus misericordiæ *Luc. 6.* atqui pugnat cum naturâ talis operis si non fiat gratis. *Viguer. ibid. Resp.* Non valet consequentia à particulari. Aliquod mutuum est gratuitum: ergo omne. Tum divites, Mercatores, Principes, &c. in æternum & vellent & deberent careere mutuo, quia nolunt hac in parte opera misericordiæ, nec etiam iis indigent.

14. *Object.* Ex officio caritatis & amicitiae datur mutuum: si quis ergo ultra sortem quid accipit, utitur prætextu amicitiae ad quæstum. *Resp. 1.* Quod fundamentum & quæ forma sit hujus contractus indicavimus *Disputat. prioris thes. 1. & 4. ad object. 7.* Breviter duo concurrunt ad usuram, contractus mutui, & specialis contractus seu conventio, quâ æstimatur & compensatur usus fructusque sortis consumptæ aut consumendæ, cum damno creditoris. Detur mutuum esse amicitiae, modo etiam concedatur contractum accedentem esse justitiæ, utrumque humanitatis & caritatis. *Resp. 2.* applico huc verba Cujacii, quæ illi quamvis religione Pontificio vis veritatis expressit ad tit. 34. lib. 4. Cod. *Mutuum*, inquit, *commodatum*, *mandatum*, *depositum ex officio & amicitia originem ducit.* Hi igitur contractus mercedem non recipiunt, honorem recipiunt & remunerationem, & mutuum quoque modicum sænus, quod non superet beneficium à creditore profectum; sed ex superetur, quia beneficio adjuvari nos oportet, non opprimi. L. in commodato sicut D. Commod. Dederim enim & in sænore libenter, de xeniis proverbio locum ἔτε πέντε, ἔτε πέντε, ἔτε πέντε.

15. *Object.* Excipitur plerumque ad argumentum nostrorum ex *Deut. 23.* Non fuisse Israelitis usuras ibi concessas, sed tantum permissas propter duritiem cordis, sicut libellus repudii. Exstat hæc exceptio apud *Thomam loc. cit.* & nititur illi imprimis Lancelotus Andrews. *Resp. 1.* Nunquam hoc probabitur ex scripturis sive explicitè (ut de libello repudii *Matth. 19.*) sive per bonam consequentiam. *Resp. 2.* Præterea dispar est ratio repudii & usuræ. Circa illud versatur conniventia Politicæ Mosaicæ; circa hanc vero nulla; circa rem, inquam, ipsam, sed tantum limitatur objectum seu contrahentes cum quibus contractus usurarius ineundus. Haut aliter ac Magistratus prohibens extraneis seu hostibus certas quasdam merces vendere; interim relinquens suo loco contractum venditionis & potestatem vendendi civibus, non est dicendus propter duritiem hominum tantum permittere (non vero concedere) contractum venditionis: cum tantum limitet objectum (quod vocat) occupans, seu objectum cui.

§. 2. Argumentis hîc adversarii addunt autoritates, ad quas breviter respondemus.

Prima est, Concilii Niceni can. 17. qui etiam allegatur à Leonis Novellâ, & Harmenopulo loc. cit. *Resp.* 1. tantum ibi agi de Clericis, quibus multa propter decorum ecclesiasticum ab antiquis prohibentur, in se tamen & absolutè minime mala, ut ex. gr. *militia*, canone (vulgo dicto) Apostolorum 82. *administratio seu procuratio domorum* Concil. Carthagin. 1. c. 6. *coactio ad testimonium publicè dicendum*, Cod. Can. Eccles. Africanæ c. 59. *negotiatio* Concil. Eliber. c. 20. *peregrinatio, tutela, cohabitatio mulierum*, Phorii Nomocan. tit. 1. c. 2. 13. 14. Jam vero in canone Niceno agi de Clericis, constat ex inspectione ejusdem, & collatione can. 4. Concil. Laodicensi, can. 67. concil. Carthagin. IV. can. 13. concil. Carth. 1. can. 5. 16. Concil. III. & can. 22. Concil. Arelatensis 1. can. 14. denique ex Gennadio de Ecclesiast. dogmat. cap. 72. Et hanc explicationem adfert ipse *Alciatus parergon* lib. 6. c. 20. & glossis juris canonici ad 24. qu. 4. Nullus *Resp.* 2. Dicit etiam potest, occasionem dedisse huic decreto usuras centesimas, & *ἡμιόλιον* id est fescupla, quæ tum exigere non pudebat Clericos, quod innuit Canon Nicenus & Laodicenus. Quid mirum ergo illâ occasione ab omni specie mali tam odiosi & tam frequentati prohibitos fuisse Clericos, ad evitandum scandalum.

Secunda, Concil. Agathensis c. 3. Eliber. c. 20. adhuc Patrum Hieronymi in Ezechiel. lib. 6. c. 18. Ambrosii lib. de Tobia c. 13. & ad Vigil. libr. 9. epist. 70. Chrysostomi in c. 5. Mathæi & in c. 17. homil. 57. Lactant. lib. 6. Instit. c. 18. Augustini epist. 53. ad Macedon. & in Ps. 3. conc. 3. Basil. in Psal. 14. Leonis I. serm. 6. de jejunio 10. mensis. *Resp.* 1. Concilia hæc tantum sunt provincialia seu particularia. *Resp.* 2. Eadem, ut & patres agunt de usuris illicitis & crudelibus, quales tunc temporis vulgò usitatæ. *Resp.* 3. Dicit etiam potest, si rigide & stricte in omnes usuras in genere ita dictas invehuntur; id eos fecisse ut fideles ab omnibus fordibus illis, quibus usuræ tunc conspergæ, quam longissime fugerent, & ab omni specie ac suspitione mali immunes, tanto liquidius ab improbis Gentilibus discriminarentur. *Resp.* 4. Denique insolens non est si patres odio alicujus grassantis vitii delassati atque abrepti in alteram partem contendant, & totum illud chaos (quamvis sepe liciti & boni quid lubesset) indistinctè proscriberent; quod viderent multiplicem ab usum difficile separari posse. e. gr. imaginum usum in cultu divino ita detestatur Tertullianus lib. de Idololatr. c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. ut promiscuè videatur totam plasticen cum pictoribus, ærariis, marmorariis condemnare. Negotiationis multiplicem, *ὡς ἐστὶν ἡγορηγμένη* iniquitatem dum persequitur author operis imperfecti in Mathæum c. 23. (sub nomine Chrysost. hom. 38. & Cassiodor.

in *Psal.* 70. (videatur *Thomæ* 2 2. *qu.* 77. *art.* 4.) diceret omnes negotiatores ex domo Dei excludi: quamvis forte ab hac opinione excusari possint. De juramentis ita loquuntur *Basilii* in *Pf.* 14. *Hieronym.* in *Matth.* 5. *Chrysostom.* de *compunctione cordis* lib. 1. *Theophylact.* in *Matth.* 5. *Origenes tract.* 45. in *Matth.* præterea *Athanas.* *Epiph.* *Hilarius*, *Euthymius* citati à *Sixto Senensi biblioth.* lib. 6. *annot.* 2 6. ut nulla putent licita: quod non obscure fateri coguntur *Sixtus Senensis* loc. cit. *Maldonat.* in *Matth.* 5. *Corn. à Lapide* in *Jacob.* 5.

Quarta, *Concil. Viennensis* sub *Clemente V.* anno 1311. & *Lateranensis* sub *Leone X.* anno 1515. *Resp.* tantum apud nos illa valent, quantum totus *Papismus*. *Parietes* illi dealbati *usuras* scil. prohibent; interim *usuras palliatas* prætextu montium pietatis ipsi concedunt: de quo *Cajetan.* alique cit. *prioris disput. th.* 3. quibus addimus nunc *Tholozanum* de *Republ.* lib. 13. c. 16. manifestis furtis patrocinantur, ibid. *Pontifici Romano* nullum lucrum inhonestum censent, hinc insolens illa *nundinatio indulgentiarum* anno 1517. (de quâ *Jovius* in *vita Leonis X.* *Guicciardinus* lib. 13. *S.* 15. *Sleidanus* lib. 1.) & *taxâ poenitentiarum Apostolicæ*, de quâ ex *Espencæo* nos 2. *part. sel. dissip. tit. de Indulgentiis.*

Quinta, *Imperatoris Leonis* constitutionem exhibet *Harmenopolus Epitom.* lib. 3. tit. 7. ex *theologis* eam contra *usuras* allegat *Willetus* in *Levitic.* 25. & *Wilsonus JC.* in *diatribe de Usuris* sol. 23. qui *Imperatorem* hunc extollit supra *Justinianum*, aliosque prædecessores, quod plus respexerit Deum quam *politiam humanam*. *Resp.* 1. Credo hunc *Imperatorem* prætexentem *jus divinum*, quod allegat, eodem modo inductum fuisse, quo *Theologi veteres* modo citati: itaque valeat hic eadem *responsio*. *Resp.* 2. *Constitutio* illa non potest præjudicare causæ nostræ, nec *juri civili tot. tit. ff. & C. de Usuris*. Quamvis enim aliqui *Imperatores* *cursum earum* prohibuerunt, tamen alii eas in *forum* reduxerunt, considerantes *societatem humanam* sine iis facile conservari non posse. ut utar verbis *Giphanii JC.* *disput. ad Institut.* lib. 1. p. 36. *Resp.* 3. Unde probabitur hanc constitutionem *Leonis* legis vicem obtinuisse; aut si obtinuerit non fuisse abrogatam? *Leges*, inquit *Augustin.* de verâ religione c. 23. postquam instituta & firmata sunt, non possunt à subditis judicari. Exponit autem *Gratianus*, tunc institui quando promulgantur, firmari quando moribus recipiuntur. Et has esse conditiones legis, statuunt omnes *Canonistæ*, *Casuistæ*, & *Theologi Pontificii*, & post omnes illud probat *Jesuita Zwarez* de *legibus* lib. 1. c. 11. Sic abrogatio legis duplex est, scripta & non scripta, scilicet per *disuetudinem* aut contrariam *consuetudinem*. Ita ex & cum *Jurisconsultis*, *Canonistis*, *Theologis* idem *Zwarez* l. 6. c. 27. & l. 7. c. 18. Neutram abrogationis speciem

in hac lege locum habuisse, siquidem daretur eam fuisse institutam & firmatam, nemo, ut opinor, dicet. *Resp. 4.* Respondet etiam Giphanius loc. cit. Et forte ostentari potest, Imperatores merè lucrosas, & tantum propter officium mutationis dandas usuras, non approbasse; sed potius semper velle compensatorias, hoc est in quibus respectus fiat ad aliquam utilitatem, quam fortè ex eâ pecuniâ sensissemus, si mutuo eam non dedissemus. Sed non video quomodo constitutioni Leonis applicari possit, nisi forte eo modo eam quis explicet, quo Thomas sæpe Aristotelem, & Pontificii patres; non quid senserint, sed quid sentire debuerint. Sic enim sonant verba: *ne cui ex ullâ causâ usuram accipere liceat, ne scilicet legis observatione legem Dei transgrediamur: sed quantulumcunque quis susceperit, ea in sortem imputabitur.*

Sexta, Scholasticorum, & Doctorum primæ reformationis: Horum enim auctoritatem obtendens Doctor Andrews, nominat Lutherum, Zwinglium, Erasmus, Melanthonem, Camerarium, Hemmingium, Musculum, Aretium, addito hoc connvitio: *Helvetios & Genevenses idioσυνηγορία* quadam suâ dum profugos religionis ergo sæneratitia stipe nutriunt, ab iis recessisse, quod postea piguit retracta. *Resp. 1.* De consensu Scholasticorum nihil mirum: tenebanrur enim decisionibus Paparum, quamvis aliter sensissent. *Resp. 2.* Non fuit *ιδιοσυνηγορία* Genevensium & Helvetiorum, cum inter Helvetios Zwinglius, Musculus, Aretius idem cum ipso senserint: & sententiam Genevensium omnes Doctores Reformati, paucissimis exceptis, Itali, Galli, Germani, Poloni, Dani, Ungari, Scoti, etiam Angli non pauci tradiderint, ac etiamnum tradant. *Resp. 3.* Pauci illi nominati non faciunt universalem primæ reformationum Doctorum consensum, ne quidem æquivocè, Erasmus propriè non fuit Doctor reformationis, quamvis in multis præcursor & fautor. Camerarius propriè non fuit Doctor Theologus, sed bonarum literarum & artium. Hemmingius & Aretius non fuerunt Doctores primæ reformationis, sed Doctorum illorum successores. De qua distinctione in nostra desperata causa Papatus lib. 2. sect. 1. c. 1. & 2. 4. Soli ergo restant *Lutherus, Melanthon, & Zwinglius*. De quibus respondemus, non mirum esse si in tam odiosa disputatione primo illo impetu nodos omnes non explicuerint? cum communibus Canonistarum, Theologorum, & Juristarum suffragiis aures ipsis obrusæ essent, cumque expurgandis erroribus circa articulos fidei & primam legis tabulam unicè essent intenti. Accidit tamen *Luthero & Melanthoni*, ut postea linguam corrigerent & decisionem suam hic accuratius elimarent, vide Casus Balduini disput priori cit.

§. 3. Absolutâ hac capitali controversiâ, respondemus nunc breviter ad casus & quæstiones morales, quarum.

I. *Quæst. Quæ sit regula & certa usura licita norma in foro conscientia.*
Resp. Lex civilis publica, caritatis, æquitatis, & prudentiæ Christianæ lege temperata. Ex lege publicâ accipies jus, illa enim sicuti justè punitorias ita & compensatorias usuras statuere potest quibus analogicè interesse compensetur. Ex te ipso conferes temperamentum *ἐπιεικής*, ut scil. in stipulatione minus lucrum quæras, quam leges concedunt; adhæc non tam quæras, quam à ditiori honestè oblatum acceptas: denique ut in exactione longanimitatem & *συμπόγῃαν* adhibeas, siquidem statuto tempore sine notabili incommodo & damno, aut *πανολοθῆναι* exsolvere nequeat. Quo applicandæ illæ regulæ *Math. 7. 12. 1 Thess. 4. 6. 1 Cor. 13. 6.*

II. *Quæst. Quid si debitor non tantum nihil lucri-faciat illo mutuo, sed & sortem perdat, idque culpa non sua; an usura sint exigenda?* *Resp.* Non esset hoc caritatis & æquitatis; quam nullus contractus excludere potest. Quin immo necessario eam includit, ex intentione contrahentium in domino.

III. *Quæst. An tantum orphani, curatores pauperum, vidua, Ecclesia, pauperes, literati nummis suis lucrari possunt, non vero ditiores aut illi quibus facultas, otium, occasio alio genere contractus acquirendi; ut nonnulli usuras restringunt, & inter eos Willetus in Levitic. 25.* *Resp.* Nos rationem nullam videmus. Quod non licet ditioribus, nec licet pauperibus; & contra quod his licet, & illis licet (si quidem usura sit legitimus modus acquirendi): æque ac mercaturam, aut opificium aut agriculturam exercere, aut census emere, aut domos locare, &c.

IV. *Quæst. An usura maritima seu nautica, & quasi nautica, quæ propter navigationis aut aliud quodcunque periculum debetur, vel usque ad centesimam pro ratione periculi, intrinsecè & per se mala sit?* *Resp.* Neg. Modo in omnem eventum & casum parata sit æquitas; nec ex ruina proximi quis domum suam ædificet.

V. *Quæst. An ab aliquo mediocri fortuna liceat stipulari usuram pro mutuo, quo se, aut filium, aut uxorem ex captivitate liberaturus est, idque dispendio maxima aut dimidia partis bonorum, ut plerumque fit.* *Resp.* Neg. Sed amici, cognati, necessarii, piique alii, quibus Deus benedixit, mutuo gratuito illi subveniant: ne afflictis ab hostibus addatur afflictio, inter fratres & amicos. *Math. 25. 36. Hebr. 13. 3.*

VI. *Quæst. An usura sit licita erga fratrem attenuatum, si quis ultra sortem non nummos, sed aliud quid stipuletur ex. gr. ut vicissim sibi aut suis mutuum detur ubi indiguerint, aut ut debitor nunquam ab amicitia utili recedat, aut ut accipiat merces quas non potest vendere, aut ut extorqueat à debitoribus difficillima solutionis pecuniam, aut ut agrum suum colat & redditus suos*

sub certo pretio colligat, aut ut munus à linguâ vel ab obsequio sibi præstet, &c. Resp. Neg. est enim hæc maximè palliata, & tanto nocentior. Quia de omnibus illis pariter ac de pecuniâ, quâ æstimari possunt, statuumdum est.

VII. *Quest.* An omnis usura simpliciter & in se sit illicita quâ quis mutuo dat communioni, ut liber à solutione tributi reddatur; aut Principi, ut tale officium sibi concedat? Præterea an si statutum fiat in civitate aliquâ, ut mutuanti certam pecuniam aliquod munus daretur; illud statutum sit iniustum; ut quidem de omnibus illis affirmat Angles in floribus in 4. part. 6. Resp. Neg.

VIII. *quest.* An illis qui in re lautâ sunt, liceat omnes nummos suos ita in usuras impendere, ut semper ad manum non sit, quod tum in elemosinas etiam extraordinarias, tum in mutuum gratuitum pro modulo status & conditionis suæ erogent? Resp. Neg.

IX. *Quest.* An nemini liceat moderatas usuras exigere pro exiguâ summu- la, nisi forte pauperioribus aut ararii ecclesiastici præfectis, ut vult Baldui- nus lib. 4. c. 3. casu. 4. p. 944. Resp. Nos rationem nullam videmus, cur ditionibus hoc minus liceat; si modo non sint illicitæ ex parte debitoris.

X. *Quest.* An licitum sit pactum ἀντὶ πτοχῶν, ut scil. debitor pecuniâ utatur, fruatur, & creditor loco usurarum percipiat fructus pignoris, eoque vicissim utatur fruatur. Resp. Aff. servata semper æqualitate, quam in usurâ licita ex parte debitoris & creditoris servandam diximus.

XI. *Quest.* An licitum sit alicui sive depauperato sive mediocri & stataria (ita loquar) conditionis, mutuare ad usuram, ut primo quoque infortunio interveniente, cum minime est solvendo, & interesse, importunis exactionibus paternam domum, aut prædium, aut agrum, nostro sorte vicinum, eum vendere cogamus. Resp. Neg.

XII. *Quest.* An qui injustam usuram exercuit satis se emendet, si cursum istius peccati abrumpat? Resp. Neg. Insuper teneretur ad restitutionem: quia omne, quod malè possidetur, alienum est, ait Augustinus epist. 54. De modo & conditionibus restitutionis passim Casuistæ Pontificii inter alios Petrus à Navarra, & Jesuita Lessius pecul. tractatibus de Restitutionibus, & ex nostris Amesius in casibus lib. 5. c. 4. Ex quo, ut etiam ex Willero in Levitic. 25. qu. 24. & Jesuita à Lapide in Proverb. 28. v. 8. nunc hoc tantum anctoro, si ipsis dominis aut eorum hæredibus fieri non possit, tunc faciendam esse Deo, hoc est, rem ablatam vel pauperibus, vel communitati piorum impenden- dam. Quod an jure positivo tantum & consuetudine, (uti loc. cit. cum Lessio statuit Corn. à Lapide) an naturæ, aut etiam divino ita fiat, hic non disqui- rimus.

DE TRAPEZITIS.

Quia usuræ Judeorum in Germania, Italarum, Longobardorum & Pe-S. 1.
dæmontanorum in Belgio sub publico conniventia privilegio nimis
licentiosè grassantur, frustra reclamantibus ecclesiis & doctoribus tum no-
stris, tum Pontificiis, extra oleas non vagabimur, si de iis quid determine-
mus: imprimis cum videamus Danistas illos eorumque armigeros partim
occultos, partim revelatos legis & ratiunculis in speciem subtilibus pro aris
& focus suis passim pugnare; quin immo & ipsos Theologos publicè provo-
care: Hunc enim in finem Franecker anno 1629. vernaculo sermone edi-
ta est anonymi D. I. W. P. P. diascepsis de *Usurâ trapeziticâ à Job. Jac.
Gerbino* trapezitâ Franequerano appensâ in frontispicio hac hederâ: *Ad exer-
citium studiosæ iuventutis*. Nos ergo ad exercitium & instructionem studiosæ
juventutis. I. Injustitiam ejus usuræ demonstrabimus. II. Objectiones &
exceptiones diluemus. III. ad Casus quosdam respondebimus. IV. re-
media hujus gangrænæ, atque adeo omnis usuræ indicabimus.

Injustas esse usuras illas dicimus tum ratione debitoris, tum ratione cre-S. 2.
ditoris.

Ratione debitoris, 1. Quia promiscuè exiguntur ab omnibus fratribus &
civibus æque ac peregrinis, pauperibus, tenuibus, incendio, inundatio-
ne, pestis bellive flagello, exilio, captivitate, aliâve calamitate oppressis;
& magnam, si non maximam partem illorum exsucto sanguine tam splendi-
dè vivunt trapezitæ, contra *Exod. 22. 25. Levitic. 25. 35. 36. 37. Dent. 15.
11. Amos 8. 6.*

II. *Quia* promiscuè pignora quævis recipiunt ac detinent, etiam tegu-
menta & indumenta ex lege naturæ aut decori civilis homini necessaria, ut
compita, forum, ecclesiam, &c. frequentet: ne instrumentis quidem ar-
tis, quâ quis vitam sustentat, exceptis, contra *Exod. 22. 2. 27. Deuter. 24.
15. Levitic. 19. 13. Ezech. 18. 7. 12. & 33. 15.*

Ratione creditoris, 1. Quia ab omnibus promiscuè nimium ultra sortem
exigunt, Præterita nunc Judæorum crudelitate (de quâ alibi agendum) &
antiquâ Longobardorum in Belgio rapacitate ac superbiâ, propter quam
omnes mensæ eorum ductu & auspiciis Præfidis in supremâ curiâ Mechli-
nienti subverfas atque exactas (anno 1510.) testatur anonymus in diascepsi
modo cit. p. 9. Constat ab omnibus ante hac jam inde ab anno 1578. ultra
sortem exactos fuisse 32½. floren. nisi quod nuper ex contentione, & ut alii
aliis mensas illas præriperent, lucro 22. aut 20. aut 21. aut 24. alicubi con-
tenti esse debuerint. Lucrum autem istud, & quidem promiscuè ab omni-
bus

bus exactum, nimium esse, nemo, ut opinor, negabit. 11. *Quia pignoribus ad præstitutum tempus dividendis, & sorte cum lucro sibi inde restituto, residuum, si quod sit, possessoribus non restituunt: sive ipsi illud in suo lucro deputent (quod fecisse eos, antequam ex Belgio exigenterentur, testis est anonymus loc. cit.); sive fisco aut ærario pauperum impartiant. Quâ iniustitiâ & crudelitate, quid crudelius cogitari potest.*

* *Appendix ad §. 2. rationem posteriorem, ductam à non restituto residuo, anno 1666.*

Disputationis nostræ de usuris part. poster. anno 1637. 13. Maji: propositâ §. 2. reliquis allatis rationibus subjeceram istam: *Quia pignoribus ad præstitutum tempus dividendis, & sorte cum lucro sibi inde restituto, &c. Contra quam rationem postea furros, si non clamores sublato, & anonymis fœneratorum libellis, me calumniæ argui, & desperatæ ac turpissimæ causæ pattonos admodum sibi plaudere percepi. Quasi harpax quis τριχορδον à prætore variis argumentis & exemplis factorum furorum, perfractionis ostiorum, perfolionis parietum, &c. ad inducendum reatum pulsatus, sociorum furum & concaptivorum, etiam ipsorum damnum passorum testimonio declaratus, quod uni alicui furto à prætore æque ac sociis ipsi imposito, non interfuisset: quasi, inquam, harpax ille uno hoc argumento prætoris amoto, in totâ causâ contra prætorem triumphare se putaret. Quidquid esset de hoc argumento à me ad finem tunc adjecto, manet tamen fœneratorum iniquitas. Sed hoc misso, dico me mensis fœnebris communiter potuisse attribuere, quod residuum ex venditis pignoribus, si quod esset, non semper restitutum fuisset illis, quorum pignora publicis auctionibus vendita essent.*

Quia hoc conquesti erant non pauci eorum, quos dira necessitas compulerat, ad mutuuum trapeziticum aliquoties confugere. Hic excipiunt trapezitici.

1. *Except.* Atqui in fiscum aut ærarium pauperum infertur residuum. *Resp.* 1. Semper, ubique, ab omnibus hoc factum non esse, constat ex discursu de mensis trapeziticis per Joh. Jacobum Gerbin trapezitam Francqueranum anno 1629. edito; ubi affirmatut à trapezitis in Belgio omne residuum fuisse retentum, seu pignora ad dictum diem non liberata, ab iisdem fuisse retenta: super quibus ad dimidium solummodo pretii mutuo dederant. *Præterea* ex vitâ Viglii Zwichemii ab Aïra, ubi refertur eum apud Carolum V. Belgarum principem hoc instantè egisse, ut coercerentur fœneratores dicti *Lombardi*; & ut anno exacto ad pignora publicâ auctione distra-

distrahenda cogentur, & residuum restituendum, &c. sed consilium hoc per aulicorum quorundam avaritiam (nota bene) interversum esse. *Insuper* ex indulto urbis Ultrajectinæ anno 1375. quo Antonio Domeyne Astensi & sociis mensa ad 20. annos conceditur; & ut post annum exactum pignora vendere, in utilitatem suam possent vendere: *soo mogen zijse vercoopen/ ende hozen wille ende ooybaer daer mede doen.* Adhæc ex Alberti Leonini consilio cum *part. 2. consiliorum* anno 1645. Roterodami excusâ apud Joh. Næranum; ubi num. 238. pag. 405. extractum ex indulto, cuidam Michaeli Thomæ anno 1558. Gandavi concessio. „More & usu antiquo potest, terit lucro suo vendere cimelia & alia pignora intra annum non redempta. Denique ex Actis Synodi Enckhusâ-Noorthollandicæ 6. Augusti 1624. artic. 56. ubi refertur à Francisco de la Via trapezitâ Enckhusano oblatam quæstionem, an ad Cœnæ communionem ipse admittendus non esset, qui tertiâ parte minus interesse reciperet, ac vulgares (*de gemene*) trapezitæ, &c. & qui residuum distractorum pignorum possessoribus, aut si nulli hoc petentes compareant, pauperibus restituit; cætera cum uxore & liberis in timore domini Christianè se gerens, &c. *Resp. 2.* dato alicubi fisco aut ærario pauperum applicatum fuisse residuum: verum tamen à me dictum est, possessoribus justè residuum non semper & ubique restitui. Hocque incommodo gravari negotiationem trapeziticam; cujusculque culpâ id potissimum fiat. *Resp. 3.* Dato à trapezitis residuum illud, usibus propriis applicatum non fuisse: nihilominus verum est, illud semper restitutum non fuisse illis, ad quos pertinebat. Et hoc est incommodum, quo negotiationem trapeziticam merito gravamus. *Resp. 4.* Dato trapezitis omnibus juratis (quod nondum factum) credendum esse, ne obolum ab ipsis perceptum esse & percipi ex residuo; an ipsi, aut artis trapeziticæ patroni vadimonium obirent pro omnibus famulis mensariis (vulgo *Cassiers*) qui pro trapezitis negotiationem illam exercent, pignora æstimant & recipiunt, nummos numerant, zigla scribunt, & siqui pignora repetitum venerint, quantum pro interesse exolvendum sit verbo indicant; aut si pignora vendantur, quantum pro interesse & summâ mutuâtâ de pretio venditi pignoris detrahendum sit, & an aut quantum sit residuum significant. An justus semper sit eorum calculus; & nec hero trapezitæ, nec mutuantes fraudulenter quidquam subtrahant: non dicent (ut opinor) trapezitæ; qui per hyperaspisten suum *Salmasium in tract. de senore trapezitico* scribi curârunt, se sepe à famulis suis mensariis dâmno affici; ut tanto facilius persuadeant, non tantum lucrari ipsos, ac vulgò creditur. Ego ipse probè novi in patriâ meâ tres famulos mensarios successive non parum subtraxisse mensæ, quam curabant, hero ipsorum Gorcomii habitante. Primus Italicæ originis scor-

tationibus & luxu, non pauca cum dilapidasset, civitate illâ ejectus est. Secundus Hollandus mihi satis notus & cætera vir non malus; sed tabernis, imprimis & aleæ sæpiusculè addictior, quam stipendiolum ipsius ferret: unde post obitum ejus, de damno capæ illato heri querela. *Tertius* originis Italicae & trapezitæ, ni fallor, cognatus, cum non ita diu ministerium illud trapeziticum istic obiisset letali peste correptus, me ad se vocari jubebat: tum ut spirituale pharmacum ipsi subministrarem, tum ut coram me testaretur. Post ejus obitum, cum literis viri eruditi Goudâ scriptis à me peteretur, ut herum monerem, de exolvendis 600. flor. quos virgini cuidam Goudanæ (me teste) legaverat: responsum tuli, nihil esse aut illi deberi, unde legatum exolvi posset; quin contra non exiguè summæ se jacturam pati. Et hæc quidem œconomia istorum famulorum: testibus ipsis trapezitis.

II. *Except.* Homines, si qui conquesti sunt, de residuo non restituto, rerum istarum ignari sunt, & falso calculo se & alios deludendo mensam ac famulos mensarios injuria afficiunt: quibus accuratè ac fideliter supputantibus credendum esset. *Resp. 1.* Omnes mensam frequentantes, præsertim qui tanquam mandatarii pignora aliorum multos per annos ad mensam deferre sunt soliti, non ita negotiationis hujus ignari sunt, ut fide implicitâ famulis semper credere debeant. Nec est de nihilo, quod inter primos hujus artis trapeziticæ in Belgio plantatores anno 1375. stipulati sint ab Ultrajectinæ urbis senatu (cui antea in extremâ necessitate ingentem summam mutuo dederant), ut pignora per fures alicui ablata & in mensam illata domino non tenerentur restituere, nisi numeratâ tali summâ, qualem mutuo dederant, *ende des hozen gesinde te geloben met hozen sempelen woorden.* Ibidem ubi de licentiâ pignora exacto anno distrahendi, subjicitur: *Ende des hozen gesinde te geloben met hozen sempelen woerde.* *Resp. 2.* Quod vulgares quilibet tam liquidè & promptè ac famuli mensarii, calculum inire nequeunt; in causâ sunt characteres occulti seu *sigla*, quibus hæc negotiatio, aliter ac omnia alia commercia, peragitur. Quæ autem fraudes sub *siglis* latere queant, & quam merito illis suspectam antehac negotiationem suam reddiderint: vel inde colligere est, quod *L. 1. ne per scripturam C. de veteri jure enucleando prohibitum sit Jureconsultis per siglorum captiones & compendiosa enigmata, &c. codicis textum conscribere.* Et *L. 2. t. eodem: Eandem pœnam falsitatis constituimus adversus eos, qui in posterum leges nostras per siglorum obscuritates ausi fuerint conscribere.* Quod si *sigla* illa Jureconsultorum tam odiosa fuerint: quid de ignotis trapeziticæ negotiationis characteribus, quos homines, quorum interest, intelligere nequeunt, censendum erit?

III. *Except.* Mensæ ab hoc incommodo nunc liberatæ sunt. *Resp. 1.* Ego

Ego de mensis communiter aut ἐπὶ τῷ πλείονι hoc incommodo laborantibus anno 1637. locutus sum. Quod si alicubi hoc malum tunc sublatum fuisset, uti de mensâ suâ testabatur alibi trapezita Enchusanus supra indicatus; an discurrendo à particulari ad universale, ab omnibus mensis ante annum 1637. in Belgio sublatum fuisse dicendum est? Ostendat ergo novis super tolerantia mensarum contractibus, hoc ubique ante annum 1637. præscriptum & observatum fuisse, ut residuum, si quod esset, cuique exigenti restitueretur: & sic antiquos mores cum antiquis indultis supra descriptis, simul & semel abolita fuisse. Sed hoc ostendetur ad Kal. Græcas. *Resp.* 2. Dato, eodem illo anno aut anno præcedenti in variis mensis residuum cuique suum cœptum restituit, an ideo falsa & frustranea fuisset per sæcula aliquot continuatæ hujus pragmatice descriptio? Præsertim cum contententes pro eâ, etiam, si non præcipuè, ad mensas & negotiationes parentum, majorum, prædecessorum suorum defensionem extendant: ne bona inde ad se & suos devoluta, inter malè parta, & majores ipsorum inter fœneratores numerentur. *Resp.* 3. Denique si aliqui dolis, & technis suis hoc tandem efficerent, ut allegatis & exhibitis omnium trapezitarum & famulorum mensariorum ante annum 1637. (quod nunquam factum, nec ipsis nunc factu possibile) testimoniis, probatum irent mensas ab hoc malo consequenti planè liberatas: an ideo ignorantia facti, hoc est, nuperrimæ istius emendationis, calumnie aut mendacii mihi crimen imponet? An potius ipsi advocato trapezitæ hanc causam anonymis suis libellis agenti: qui probè nō rat si non omnes saltem plerasque mensas ab hoc malo plane purgatas non fuisse. Et quidquid unus atque alter famulorum & trapezitarum hic testatus fuisset (quorum tamen testimonia apud me non jactavit, nisi unius famuli mensarii in patriâ meâ), contra eos in propriâ causâ, forte etiam ad tegendam propriam turpitudinem, jure meritoque excipi posset. Sed de hoc plus satis. Hactenus inter calaris appendix 1666.

Sunt ergo trapezitæ illi propriè & κατ' ἐξοχὴν Usurarii manifesti, quales §. 3. JCC. describunt, quod palam & frequenter seu assiduo usuras exerceant *Peguer. Menoch. Covarruv.* citati ab *Althufio lib. 1. dicatolog. c. 14. v. 9.* Et sic eos vocat *Leoninus* tunc Geldricæ Cancellarius olim Juris Professor Lovanienfis in suo consilio, quod cum aliis Jureconsultorum consiliis part. 2. editum est Roterodami anno 1645. in 4. Quos etiam jure civili infames aliisque poenis obnoxios statuunt, *Althuf. ibid.* qui quodammodo furtum facere videntur, sic juridicè loquitur *Menoch. & Peguera ibid. cit.* nos theologicè & apertè cum catechesi nostrâ ad 8. præceptum omnem illicitam & mordacem usuram furtum dicimus, coram Deo scil. & in foro conscientie; & in illos putamus quadrare illa *Catonis: de re Rusticâ* in principio: In legibus olim

olim posuerunt (scil. Romani) *sæneratorem quadrupli, furem dupli condemnari*. Rationem subjicit: *quanto peiorem civem existimaverint sæneratorem, quam furem hinc licet existimare*. Eisdem Jus Canonicum ab ecclesiasticâ sepulturâ excludit, iis nullas domos à Christianis locandas statuit, nec permittendum ut conductas inhabitent. *Lancelot. Institut. lib. 4. tit. 7. ex libr. 5. decretal. tit. 5. de Usuris cap. 1.* Antiquæ Ecclesiæ canones (*Nicephor. confessor. in tom. 1. Juris Græco-Romani fol. 196. & Concilia supra thes. 2. cit.*) & communis consensus ac praxis ecclesiarum Reformatarum, nominatim in Belgio à communione eucharistiæ & ecclesiæ eos arcet aut excludit, ex præscripto formulæ de administrandâ cœnâ domini; quos in testes baptismi non adhibendos monuit Synodus Leidensis 1600. & an unquam admitti debeant, remisit ad Synodum Nationalem. Quibus frequentatione templorum seu cœtus Christianorum & cultus publici severè interdixit Carolus V. anno 1545. 3. Januar. Ultrajecti, in quam urbem primum in toto Belgio irreperant, nescio quo publicæ utilitatis aut necessitatis prætextu (ut innuit Anonymus loc. cit.) postquam in Belgio mensæ ipsorum clausæ fuissent edicto Caroli V. 3. Aprilis anno 1510. Possent forte addi & rationes illæ, quod mensæ ipsorum sint asyla, & allicia furum, filiorum prodigorum, Apiciorum, qui delitiis, cupediis, nec non crapulâ, ebrietate, &c. sua quâvis occasione abliguriunt: sed quia proclive illis esset excipere, hæc abusus esse non usus, qui in montes pietatis etiam optimè constitutos possint cadere, malumus rationibus allatis contenti esse.

S.4. Examinemus nunc rationes & exceptiones trapezíticas, quas hæctenus auditu percipere aut ex dictâ diatribè colligere potuimus.

Prima est, Usuras illas legibus publicis & autoritate Magistratus constitutas atque approbatas esse; atqui penes potestatem politicam est & hos & omnes alios civiles contractus determinare, Ergo nihil imputandum trapezitis. *Resp.* falsissima est hypothesis. Nec constituit Magistratus, nec approbavit. Cedo edicta aut rescripta. Quando quælo apud nos abrogatum est in gratiam Trapezitarum antiquum Jus civile, quod majorem usuram centesimâ non permittit; aut novissimæ constitutiones Imperii, (cum quibus fere convenit consuetudo nostratum) quibus 5. vel. 6. flor. in 100. penduntur. Althuf. loc. cit.

Secunda, Magistratus saltem permittit, si non concedit. *Resp.* rectè; permissione ipsorum versante circa peccatum, seu *malum* (ut author diatribes ipse loquitur) *necessarium*. Hinc ergo manifestè peccati coram Deo in conscientia arguitur & *excommunicatur* ille trapezita. De permissione *Tertullianus 1. ad Uxorem cap. 3.* Quod permittitur suspectam habet permissionis suæ causam. Quamvis enim concederetur hoc aliquo

quo respectu & comparativè bonum esse Reipublicæ, quia necessarium, ut quidem pag. 19. determinat, trapezita) hoc est, esse minus malum; inde tamen non sequitur id malum esse bonum ipsius conscientiæ. In Hispania antehac, & Romæ atque alibi in Papatu etiamnum hodie permittuntur lupanaria, *Regula quæ meretrices permittit; Hebraeos seneratores permittere debet*, ait Sixtus Medicus cap. 4. lib. 3. de Fænore Judæorum; cujus permissionem ex professo ibidem defendit. Quis hinc colliget non peccare meretrices & scortatores, aut impuritates illas quæ sub sigillo & quasi privilegio permissionis & fisci Pontificii exercentur, (tanquam malum ipsorum judicio, necessarium) esse virtutes aut saltem adiaphorum quid.

Tertia, Sufficit ergo tolerantia & protectio autoritatis publicæ, ut si non in totum saltem in tantum à peccato excusetur trapezita, & culpa in Magistratum rejectâ saltem sub istâ umbrâ extra infamiam delitescat. *Resp.* Non dicimus quam bene aut male malo illo trapezitico ad bonum publicum utatur Magistratus: sed negamus consequentiam. Nihil illo mali usu aut abusu (qui est per accidens) mutatur natura mali in se. Uti quis potest variis in casibus alterius peccato, seu operâ alterius sed cum peccato conjunctâ. Inde tamen non efficitur, ut peccatum sit non peccatum. Sice. gr. utitur Respublica proditoribus, pyratibus, perduellibus, grassatoribus & latronibus adversus socios & confœderatos ipsis similes, aliosve Reipubl. hostes ipsis nocentiores; quis tamen dicet ab injustitiâ, perfidiâ, mendaciis, fraudibus aliisque malis artibus eos esse immunes. Vide Zieglerum ad Grotium de Jure pacis, &c. de permissis usuris egregiè distinguentem pag. 65. & 92.

Quarta, Pauperibus & tenuioribus, immo omnibus indigentibus tanquam præsentissimo remedio consulitur, qui absque publicâ ejusmodi mensâ relinqui nec debent nec possunt. Ergo prudenti permissione Magistratus piè & justè proximo suo inserviunt trapezitæ. *Resp.* Nihil aliud respondemus, quàm illud Joh. 12. v. 5. 6. *Dixit autem hoc, non quia de egenis cura esset ei*, &c. Sit quæso caritas proximi ἀντιποιεῖται, nec imponat nobis candidus ille avaritiæ diabolus, à Thoma Adamo tam graphicè descriptus in concione ad loc. cit. quæ in nostrum idioma traducta nunc exstat.

Quinta, posse haberi usuras illas pari loco cum vestigialibus & teloniis, quæ à Magistratu constituta quis redimit, & justè exigit: sic alicubi dicunt à Republicâ se non parvâ summâ aut in fiscum civitatis aut in ætarium pauperum inferendâ mensam quotannis redimere; præmissis sæpe præmittendis xeniis & tributis in δροφάγος quosdam privatim erogandis. *Resp.* 1. De facto an tale sit, saltem an ubique tale sit, nihil attinet hic inquirere. Data aut posito hoc, nihil inde inferri posset, quàm esse nonnullos aliqua ratione participes & consortes istius peccati, juxta versiculos vulgatos.

*Consulo, Precipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed precipio, & defendo aliena.*

Ut ut quisque hic excutiat sinum suum; imprimis qui pro interesse undecim flor. *xar' inastor* nummis mutuo datis fulcierunt trapezitas: manent trapezitæ manifesti foeneratores. *Resp. 2.* longè diversa est ratio redemptionis telonii à magistr. instituti, pro quo accipiunt justum pretium; & impositionis mulctæ istius pecuniariæ, quæ fisco aut pauperibus cedit; quâ non approbant nec estimant trapeziticam (quam nec instituerunt nec laudârunt) sed mulctant & premunt, quod in aliis peccatis fieri solet, quandocunque per conniventiam gravioribus poenis à lege statutis non coercentur. Et sic *Becanus Manual. lib. 5. c. 18.* concedit pecuniam ab usurariis Judæis exigi, non tanquam partem lucri injusti sed tanquam mulctam. *Resp. 3.* Si quis trapezita aliter accipiat & interpretetur intentionem Magistratuum, atrocem ipsis injuriam facit. Quod vel inde constat: quod cum redemptores aut receptores teloniorum & vectigalium inter honoratos cives numerentur, & cæteris paribus ad publica munera admittantur, trapezitæ tamen hætenus fuerint exclusissimi: & quod receptiones teloniorum & vectigalium ab honoratis civibus non tantum, sed & à patritiis, procerum ac senatorum filiis, fratribus, cognatis, affinibus, quin & ipsis proceribus ac senatoribus suscipiantur; iisque tanquam honorifica & utilia munera conferantur. Si talia essent trapezitica, non expectarent, donec Insubres aut Pedemontani, eorumve progenies, aut Judæi ad lucrosam hanc negotiationem se offerrent. *Resp. 4.* Quicquid culpæ suæ à se remonent & in Magistratus derivant (quamvis justè hoc ipsos agere pius & prudens Magistratus negaret) non magis se purgant, quam protoplastæ nostri *Gen. 3. v. 12. 13.* *Resp. 5.* Non sollicitent illi opportunè, importunè, & mensas suas obtrudant; spondeo illos à piis & prudentibus Magistratibus non evocandos, aut ad hoc peccatum tentandos, aut compellendos.

Sexta, atqui de residuo pignorum distractorum, & de lucro alicubi participant & gaudent pauperes. *Resp. 1.* Non adscribimus hoc pietati & beneficentiæ trapeziticæ, qui sponte hoc non offerunt: sed prudentiæ illorum qui sanguisugis pauperum hunc sanguinem exprimunt. Totum ergo est per accidens. *Resp. 2.* Et siquidem illi per se, hoc intenderent: sequeretur tamen pauperes ab illis expilari, ut eisdem aut alios beneficiæ suâ rursus juvenarent: quod est facere malum ut eveniat bonum.

Instantia. Atqui nollent carere orphanotropheia aut alia æraria pauperum solitis illis redditibus. *Resp. 1.* Hoc trapezitæ curant scil. & non potius lucrum suum. *Resp. 2.* Prudentiores malint orphanos carere, & à sanguisugis

fugis illis liberari Rempubicam. Quæ enim major benedictio expectanda à pretio hoc sanguinis in gazophylacium illato, quàm à mercede meretriciæ aut pretio canum *Deut.* 23. 18.

Septima, Tantos faciunt sumptus trapezitæ in domos, in famulos, &c. in fiscum; in ærarium pauperum, forte & in xenia, dum prensationibus & cursitationibus suis alii alios prævertunt ad occupandam mensam, ut ultra septem aut octo floren. non lucentur. *Resp.* 1. at quis iussit eos tantum sumptuum facere, & privati emolumenti studio tam malum morem introducere; quo certe non extenuant sed aggravant peccatum suum, & ostendunt se esse genuinos *φιλαργούς*, qui absolute volunt ditescere contra 1 *Tim.* 6. v. 9. 10. & cum putent se ab aliis quasi lege talionis spoliari, proximum tamen spoliare non desinunt. *Resp.* 2. Sumptus illos minui posse ostendunt illi, qui minus lucrum exigunt, 16. scil. aut 12. flor. immo qui anno 1594. apertionem mensarum per totam Hollandiam pro 8. flor. obtulerunt; cui instituto trapezitæ tunc obfistebant, quippe qui 32. flor. tunc lucrabantur. Vide historiam *Petri Bor tom. 4. lib. 30. fol. 74.* Et Theologor. *Ultrajectin. Rei judicate part. 1. & 2. Resp.* 3. Ut ut calculo suo trapezitico (qui tamen nondum recipitur) propemodum ab injustitiâ *ex parte creditoris* usuram suam absolvisent, manet tamen injusta ex parte debitoris. Non desunt, qui arcanis hujus negotiationis propius & penitus perspectis, longè aliter lucrum ipsorum supputarent: & ipsi cum liberis suis magnificè ac splendidè vivendi ratione, ut forices suo indicio, antehac satis prodiderunt quam immane lucrum perciperent.

Octava, Sunt Mercatores, qui plus lucentur, quam trapezitæ. *Resp.* 1. quæ nam in genere sit mercaturæ ratio, & quam dissimilis à mensâ usurariâ alibi dicendum & docuerunt jam Scholastici ad 22. *qu. 77. art. 1. 2. 3. 4.* & cum illis Casuistæ prolixè: & ex nostris *Amelius cas. lib. 5. c. 42. 43.*; & Theologi *Ultrajectini in Rei-Judicate part. 2.* Multiplicem & *ἀπεισιγμένον* esse abusum mercaturæ facile concedimus. Sed illis sordibus non eluuntur sordes trapezitarum; imò magis sordescunt, *Rom. 2. v. 1. 2.*

Nona, Sunt qui clam absque publicâ permissione crudeliores usuras exercent quam trapezitæ. *Resp.* Ex parte credo: sed nihil hinc sequitur, quam trapezitas non solos thesaurizare sibi iram Dei. Quod sane miserum est solatium.

Decima, præstat unum esse publicum cum privilegio & permissione publicâ trapezitam, quam passim omnes aut plures promiscue per civitatem hoc agere. *Resp.* 1. Concedi posset minus malum quidem hinc referri Rei-publicæ: sed hoc nihil ad conscientiam trapezitarum, quæ instar Sodomæ, elatâ manu & coram sole peccatum suum cum mensâ omnibus prostituere

non erubescit, & non obscure in eo gloriatur. *Resp. 2.* Breviter eadem consequentiâ meretrices Romanæ ad publica & certa loca redactę sub umbra permissionis & fisci Pontificii probarent, se esse pudicas: quia scilicet præstat ibi meretricium exerceri, quam passim per totam urbem omnia libidinibus impleri; ut quidem practici & Casuistę Pontificii τὸ βέλτερον hic prætexunt.

Undecima, Trapezitę cum famulis suis istius artis*discipulis aut fortę magistris, nihil aliud didicerunt. Quo vitam sustentabunt? Fodere nequeunt, mendicare erubescunt. *Resp.* Quid si hoc objicerent pyratę, validi mendicantes, lenones, meretrices, fures, saccularii, alique omnes qui malis artibus malam vitam sustentârunt; an non in promptu esset responsio? Eadem ergo huic exceptioni aptanda.

Duodecima, Nusquam negotiationem hanc trapeziticam prohibet scriptura, quin immo permittit *Luc. 19. 23.* quod etiam satis innuit Apostolus *2 Cor. 8. v. 13. Resp. 1.* An prohibeat, jam vidimus *Thesi 2. Resp. 2.* Ex singulis partibus parabolę *Luc. 19. 23.* non debet fieri argumentum, nisi ipsa scriptura faciat; juxta vulgatam regulam: *Theologia symbolica non est argumentativa.* Alioquin eadem facilitate furti permissio probaretur ex *1 Thes. 5. 2.* cum *Apocal. 3. 3.* & mercenarios ac servos vix filiquis instar porcorum pascendos ex *Luc. 15. 15. 16.* Ubi tantum refertur quid in vitâ communi fieri solet aut possit. Unde nihil inferendum de bene facto, aut de jure. *Resp. 3.* Unde constat illas mensas fuisse aut speciei aut conditionibus eadem cum hodiernis? Immo contrarium ostendit Beza in notis. *Mensarii*, inquit, *proprie dicti distincti erant ab argentariis sive nummulariis. Illi publicam rem nummariam curabant ad id munus auctoritate publicâ delecti: isti vero privatim suo quęstui tum permutandis tum sœnerandis pecuniis serviebant, quos hodie à scammis, quibus assident, Galli vocant Banquiers, humani certe generis pernitiosissimas pestes plerosque.* *Resp. 4.* Locus *2 Cor. 8.* maxime facit contra illos. Nullâ enim Theologiâ, nullâ Ethicâ, nullo jure civili persuadebunt æqualitatem & proportionem à se servari.

Decimatertia, Quia vix inveniuntur in omnibus civitatibus, qui omnibus & singulis imprimis pauperibus mutuo darent, 4. aut 3. fl. aut etiam 12. asses pignore detriti indusioli aut tuniculę accepto (ut loquitur Anonymi Diatriba à trapezita Franequerano anno 1629. edita): temporum nostrorum indigentia, remedium hoc requirit. *Resp. 1.* Sed remedium est ipso morbo deterius. *Resp. 2.* Et hoc imprimis crudelem reddit hanc usuram, quod ut plurimum pauperes illâ graventur, & detrita ac lacera ipsorum indusia à voragine istâ absorbeantur. *Resp. 3.* Breviter argumentum istud huc tandem redit: Siquidem non suppetit ubique copia scęne.

fœneratorum , qui malum hoc erga singulos exercent ; ecce me unum paratum ad exercendum hoc erga omnes , & tot oppressiõibus pauperum meam solius conscientiam cooperiendam , ut scilicet omnis ille sanguis de meâ manu repõscatur. Quam egregium hoc solatium in vitâ & morte !

Decimaquarta , Cives indigentes pecuniâ aliunde majoribus impensis & majori fœnore eam cogentur recipere , &c. *Resp.* 1. Tu tamen conscientiam animamque tuam ne oppignora , ut civibus & publico prosis. Nulla enim proportio inter incommoda aut damna illa externa , & inter jacturam animæ *Math.* 16. v. 26. *Resp.* 2. Argumentum hoc , ut & omnia alia Anonymi Hyperaspistæ , eo tantum collimant ut Longobardicos illos trapezitas in civitatibus ubi nunc sunt , porro tolerandos , & in alias , unde adhuc exclusi , admittendos Magistratibus persuadeat. Hoc si evicerint pro malo suo necessario , jam quidem crumenæ aliquid consuluerint , sed nihil conscientiæ ; malum enim manet nihilominus malum. Atque hæc sententia nostra de trapezitis ; quæ cum omnium Reformationis nostræ Doctorum doctrinæ ac perpetuæ praxi , ut & decretis synodicis , classicis , presbyterialibus consentanea sit , debebat in hoc gravissimo conscientiæ casu serio perpendi ab illis , quorum interest. Vide extracta ex Actis Synodalibus in *Re judicatâ*.

Nunc casus circa trapeziticam decidamus.

S. 5.

Primus est , An quis pie & bonâ conscientiâ Trapezitis mutuo dat ? *Resp.* Neg. quia non licet firmare manus injustorum ; scimus enim per se & directè mutuum illud peti , ut fœnus exercent. Certe nisi fuissent , qui suis divitiis trapezitas sustentassent , jamdiu plerique eorum evanissent. Hinc est quod *Carolus V. decreto anni 1545. supra cit.* non tantum trapezitas , sed etiam omnes qui partem habent , aut societatem , aut administrationem in mensâ usurariâ , à sacris liminibus arcendos statuit. Et *Synodus Zuydhollandicâ anno 1629.* (ni fallor) à sacris removeri voluit illos , quasi proto-danistas , qui mutuo suo trapezitis succurrunt ; imprimis illos , qui sub stipulatione lucri undecim florenorum iisdem mutuo dant.

Secundus , An uxores trapezitarum ad communionem admittendæ. *Resp. Aff.* his scil. cum conditionibus 1. siquidem administrationem mensæ non habeant. 2. Si protestentur se averfas esse ab infelici illâ arte , seque ingemiscere maritorum peccato ; 3. promittant insuper se hoc acturas importunè opportunè , quantum in se est , ut maritus illâ vitæ ratione deservat , aliam honestam amplectatur. Idem statuendum est de liberis. Et sic obtinet communis , ni fallor , ecclesiarum praxis : juxta decisionem Synodi Nationalis Middelburgensis anno 1581. ad qu. 104.

Instantia, quâ conscientia illi interim vivunt si non in totum, saltem magnam partem ex male questis, absque restitutione. *Resp.* Non tenentur ad restitutionem, quamdiu aluntur à patre familias; neque enim penes ipsos est potestas restituendi. Addimus ergo hanc quartam conditionem, ut benignitate in pauperes, quantum possunt, quam longissimè ab avaritiâ mariti aut patris recedant: deinde promittant, se aliquando, ubi sui juris fuerint ex portione bonorum malè partorum pro ratâ & *ἀναλογως* (neque enim omne lucrum mensarium ultra sortem malè partum, nec omnia ipsorum bona sunt ex lucro trapezitico) restitutos.

Tertius, an uxori detestanti trapeziticam, liceat maritum deferere. *Resp.* *Neg.* & ratio colligitur ex *Matth.* 19. & *1 Cor.* 7.

Quartus, an piis liberis liceat paternis ædibus excedere, siquidem eos compellat ad praxin & administrationem trapeziticæ. *Resp.* *Aff.* juxta regulam *Luc.* 14. 26. *Actor.* 5. 29. *Deut.* 33. 9.

Quintus, an famuli eorum ad cœnam admittendi? *Resp.* Distinguimus eos in communes, qui communibus officiis occupantur; & in trapeziticos, qui curant mensam. De illis *affir.* ex *1 Corinth.* 7. 21. 22. *1 Petr.* 2. 18. *Tit.* 2. 9. quoniam inservit domino idololatrico, impio, fœneratori; non ideo inservit idololatriæ, impietati, fœnori. De istis *neg.* quia non unâ ratione participes sunt peccati dominorum, & ministri injustitiæ: juxta versiculos supra *thes.* 3. positos. Sic decisum fuit in Synodo Nationali Middelburgensi 1581. *ad quest. partic.* 104.

Sextus, an uxor quæ dicitur *ἡ δούλη* & obnoxia legi mariti *Rom.* 7. 1. 2. *1 Corinth.* 11. v. 3. *Ephes.* 5. v. 22. 23. *1 Tim.* 2. v. 12. inscio aut invito marito trapeziticam directè aut indirectè exercere possit. *Resp.* *Neg.* neque enim legibus divinis, aut humanis conveniret. Idem statuendum est de filio nondum emancipato: quia nullum vitæ genus, nullam artem acquirendi & lucrificandi amplecti possunt, nedum tam infamem.

Septimus, an quis necessitate compulsus bonâ conscientia mutuam petere possit à trapezitâ? *Resp.* *Aff.* petit enim mutuam illique consentit, & illius occasionem dat, quod licet; quamvis sciat trapezitam absque injustitiâ non daturum. Patitur hoc malum quod corrigere non potest: & vitatur non tam peccato alieno (ut aliquando practici loquuntur) quam opera & auxilio alieno cum peccato *ἀναλογως* conjuncto, non per se, sed per accidens; de suo enim hoc addit fœnerator. Et tali in casu pati injuriam non est injuria, tolerare malos non est malè agere. Sicut qui fœdus init cum idololatra, quem scit per falsos Deos juraturum, de quo *Augustin. epistol.* 154. & qui coactus monstrat latroni thesauros suos, quamvis moraliter sciat, illum & furto, & aliq. multiplici abusu peccaturum. Hæc est decisio omnium,

omnium, nā fallor, Casuistarum. Habet & eam *Willetus in Levitic. 25. qu. 25.* ubi etiam respondet ad locum *Jerem. 15. 10. Confer Politic. eccles. part. 2. lib. 3. ubi de Vocatione ministrorum th. 9. qu. 10.*

Octavus, An decorum ac satis tutum sit ut pii, præsertim antecessores in Republ. & Ecclesia, familiariter utantur trapezitis? *Resp. Neg.* multis de causis. Quia abstinendum est à specie mali 1 *Thef. 5.* nec jugum trahendum cum infidelibus 2 *Corinth. 5.* quia illa familiaritate & ipsi & alii imperitiores aut imbecilliores tanto securius peccato illi indormiunt, tanto familiarius absque pudore & horrore eidem assuefiunt & cohabitant, aut ad illud alliciuntur.

Nonus, An pie & prudenter trapezitas ejusmodi tolerant Principes & Magistratus Christiani. *Resp.* Siquidem coram Deo in conscientia testentur; se adhibita, quameunque potuerunt, curâ & diligentia nullâ ratione potuisse bono publico & civibus suis, consulere, quam permissione, ut ut invitâ, inali illius necessarii, utique non ausim conscientiam illorum judicare. Sed monendi sunt, ut coram domino cordium inspectore se examinent, an fecerint quod in se est, & an simpliciter sit impossibile alio modo necessitati suorum prospicere. Merito enim dubitatur an ubique & apud omnes talis sit rerum status. Cogitent illud *Prov. 20. v. 8. Rex sedens in solio judicii oculis suis profligat omne malum.* Et *Salviani de Gubernat. lib. 7.* „Potes-
„tas quippe magna & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest,
„quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari. Ut ad altiorem Rei-
„publicæ suæ hac in parte perfectionem serio contendant, subjicimus hos sti-
„mulos & motivas 1. Hac ratione omnes & singuli ostendent se affici op-
„pressionem egeni *Psal. 41. 1. 2.* & curare bonum publicum. 2. Nullum esse
„sui ordinis, qui quam longissimè non absit ab eo quod *Jesuita Becanus* vide-
„tur exprobrare nonnullis *Δυραφάρις* foeneratorum Judæorum patronis. *Ma-
„nual. lib. 5. c. 18. S. 5. pag. 731.* „Ut hæc omnia impunè faciant; distri-
„buunt munera officialibus Principum, ut ab ipsis protegantur. Quintò,
„hinc fit, ut populus, qui ægrè fert hujusmodi injurias, pronus sit ad sedi-
„tionem concitandam tum in ipsos Judæos, tum in eorum defensores ac
„patronos. Et *Jesuita Adamus Contzen lib. 8. Politicæ cap. 17. pag. 674.*
„In Imperio Romano sunt urbes liberæ, & principes. Liberæ urbes non
„tantum ab injuriis usurariorum affliguntur, sed ita habent affectos cives,
„ut nisi Imperatorem timerent, Judæos, usurariosque Christianos, & quos
„ex magnatibus eorum patronos arbitrantur, ut ejicerent, vel etiam, si
„auctor esset, vitâ privarent. Et quanquam nec ordine, nec jure ullò id
„populus faceret, occasionem tamen magistratus dedisse censeretur, non
„compescendo usuras, imo executionem contra jura divina, humana,

„contra tot leges comitorum imperialium, urgendo. Nec tuti principes, „quos norunt à Judæis protectionis causâ pecuniam accipere, præsertim „vero illi, quorum quæstores familiares illis usurariis esse vident. 3. Ita impediunt, ne tandem longâ temporis præscriptione permissio in concessionem, & malum in bonum aut saltem adiaphorum perverso hominum iudicio degeneret. 4. Ne ipsi Christiani & cives eorum Judæis aut Italis deficientibus & extrusis, nefarias illas mensas aperiant: magno Christianismi & patriæ dedecore. 5. Miserum est tamdiu peregrinis illis harpyis expositos fuisse innoxios cives. 6. Ita ostendent se pluris facere saluberrima consilia, vota æquissima, & assiduas interpellationes pastorum & Ecclesiarum; quam iniquissimas prensationes & lucratorias rhetoricationes trapezitarum.

- S.6. Restat tribus verbis nunc ostendamus quomodo exulcerata hæc usurarum mala sanari possint. Inter impedimenta removenda imprimis sunt consilia eorum, qui radice usuræ illicitæ relicta exstantes tantum summitates & folia detondent. Et tales sunt, qui putant trapezitas & mensas sed paulo magis limitatas retinendas esse, quæ est sententia anonymi in *diatribâ* anno 1629. *Franekera editâ p. 19.* Aut qui administratione mensarum publicæ auctoritati commissâ, lucroque ex parte immutato, putant omnia tuta esse; nec ulterius solliciti sunt de injustitiâ usuræ ex parte debitoris.

Remedia partim prophylactica partim therapeutica sunt aut privata aut publica.

Privata sunt, ut Christiani studeant ἀνταρξία, beneficentiæ, & liberalitati, ita assuescent mutuo gratuito & restitutioni, multasque usurarum occasiones præscindunt; fugiant avaritiam & divitiarum cupiditatem. *Tim. 6. de quâ legi possunt comm. ad ioc. cit. & ad Matth. 6. Basilii sermo de Avaritia; Salviani lib. 4. de eâdem; ex recentioribus Perkinsi tract. peculiaris, Tassin. lib. 2. de emendat. vitæ c. 11. Spinaus in tract. de Tranquillitate animi, Job. Downamius Christian. militiæ tom. 4.*

Publica sunt ecclesiastica & politica.

Ecclesiastica sunt, assidua institutio in hac parte theologiæ moralis: quam comitari debet correptio fraterna & censura ecclesiastica.

Politica sunt, ut audaces fœneratores severè secundum leges coercerentur; ut trapezitæ dimittantur; ut publicâ auctoritate *Montes pietatis* erigantur, sorte ex legatis, donationibus, collectis, contributionibus, &c. constatâ; quod per Dei gratiam impossibile non erit, si pii exemplo suorum Magistratuum, & concionibus pastorum (quod olim in Italiâ factum) excitulentur: accedente etiam honestâ æmulatione multorum sub Papatu, imprimis in Italiâ quorum liberalitate *Montes aliquot* illic erecti. Ubi in quibusdam summa 12. in aliis summa sex florenorum absque usurâ mutuo da-

tur iis, qui pignus deferunt. Nec desunt exempla in vicinâ Flandriâ Brugis scil. & Iperæ, ubi (teste *anonymo* p. 11. & 15.) omnibus mutuo datur absque ullo lucro ultra sortem. Utinam illa Miltiadis trophæa Themistocles nostros dormire non finant! Vident saltem non esse onus illud Ætnâ gravias, aut bonum politicè impossibile. Leges autem montium istorum velimus esse, ut si non omnes, saltem pauperes & tenuiores pro parvo suo mutuo nihil omnino exsolvant; alii mediocris fortunæ pro paulo majoribus summis flor. unum atque alterum idque ad impensas famulorum, &c. reliqui qui majores summas petunt, etiam si legibus recepto, siue quocunque alio tolerabili aliquo lucro montes illos promoveant. Tale fere est consilium nostrorum, ut videre est in *Synopsi DD. Professor. Leidens. disputat. de Eleemosyna*, D. Riveto in *decalogum* pagin. 387. D. Cloppenburgio tractat. de *Usuris* mandato Synodi Hollandicæ & nomine Deputatorum ejus conscripto cap. 11. Ita tandem esset mutuum gratuitum pro pauperibus, & mediocris fortunæ hominibus: & tolleretur defectus, quo adhuc laborant *Montes misericordiæ* in Italiâ, ubi prætextu impensarum exercentur usuræ illicitæ ex parte debitoris, de quo *Cajetanus* aliique *Disput. priori citati*.

C O R O L L A R I A.

I. **A**N in se aut etiam secundum hypotheses Theologiæ Pontificiæ & secundum jura pacis & belli vera sit sententia Damhouderii JC. quam probat *Corn. à Lapide* in *Deuter.* 23. 20. Cum Turca & Saracenis Christiani facere possunt usuram, ut sic bona ecclesiæ recuperent, quæ sine ulla ratione occisis tot millibus Christianorum, hætenus invaserunt. Qui ergo à Turca, à latrone, à fure infideli usuram acceperit, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & ecclesiam auxerit. *Resp. Neg. Rationes sunt.* 1. Quia cum Saracenis omnibus bellum non gerunt, imo ne tum quidem cum scriberet hoc *A Lapide*, cum Imperatore Otomannico. Quo jure ergo vindicabunt illa, quæ belli jure an injuriâ olim à Saracenis patrata. 2. An quæ ante aliquot sæcula injusto bello occupata, nunc legitimo Imperio firmata sunt subsequenti approbatione, eorum, si qui superessent, quorum propriè interest, ab aliis repeti possunt. Quid fieret tum plerisque regnibus, & Imperiis; quin & ipsi Romano. Vide scriptores de *Jure pacis & belli*: Ubi docetur, quomodo transferatur dominium. 3. Pari jure possent Principes à Papâ, & laici à Clericis per usuras aliosque quamvis illegitimos acquirendi modos repetere bona & dominia terrena, &c. Specialiter, quid fieret patrimonio Petri?

II. An omnes leges sacræ de usuris pertineant ad Politiam Mosis; & si pertinerent, an propterea conscientias Christianorum nullo modo obligarent, saltem materialiter, analogicè, & quod ad genus, uti loquuntur? *Resp. Neg. utrumque contra anonymum* p. 14. 15.